MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80754-5

AUTHOR:
BUSS , HERMANN

TITLE:
DE BACCHYLIDE
HOMERI
IMITATORE

PLACE:
GIESSEN

DATE:
1913

Master Negative #
92-80754-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Buss, Hermann, 1889-
De Bacchylide Homeri imitatore ... Giessen, Christ, 1913.
53 p. 23 cm.

Thesis. Giessen.

62724 54p.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/21/92 INITIALS SM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

De Bacchylide Homeri imitatore.

DISSERTATION
ZUR ERLANGUNG DER DOKTORWÜRDE
BEI DER PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT
DER GROSSHERZOGLICH HESSISCHEN LUDWIGS-UNIVERSITÄT
ZU GIESSEN

EINGEREICHT VON
Hermann Buß,
GEBOREN IN HOLZHEIM KR. GIESSEN.

GIESSEN 1913.
Druckerei Christ & Herr.

no. 3

De Bacchylide Homeri imitatore.

DISSERTATION

ZUR ERLANGUNG DER DOKTORWÜRDE

BEI DER PHILOSOPHISCHEN FAKULTÄT

DER GROSSHERZOGLICH HESSISCHEN LUDWIGS-UNIVERSITÄT

ZU GIESSEN

EINGEREICHT VON

Hermann Buß,

GEBOREN IN HOLZHEIM KR. GIESSEN.

GIESSEN 1913

Druckerei Christ & Herr.

Genehmigt durch das Prüfungskollegium
am 26. 6. 1912.
Referent: Dr. Körte.

PARENTIBUS
SACRUM

I. Praefatio.

Ad ingenium atque artem cuiusvis poetae recte aestimanda maximi momenti est quaerere, ex quibus fontibus hauserit atque quatenus ex se ipse sententias et elocutiones genuerit. Si haec quaestio proponitur de Bacchylide poeta chorico, statim Pindarus in memoriam venit. Hic quoque carmina epinicia composuit, quae nobis servata sunt. Itaque interest explorare, quae ratio inter utrumque poetam intercedat. Atque vero K. Prentice[1]) in lucem protulit Bacchylidem non paucis locis cum Pindaro aequali suo consentire.

Atque dubium non est, quin Homerus sermonem quendam effecerit, quo omnes poetae posteriores usi sunt. Atque Pindarus quoque, qui sermonem maxime proprium praebet, elocutiones Homericas adhibuit.[2]) Maxime igitur interest quaerere, quem ad modum Bacchylides ex Homero pendeat. Non autem mihi proposui disserere de dialecto Bacchylidea sive de rebus syntacticis,[3]) sed agere volo de ea ratione, quae in fabulis enarrandis atque praecipue in sermone formando inter Bacchylidem atque Homerum intercedit.

II. De Fabulis.

Usque ad nostram aetatem ex permagno numero carminum epiniciorum, quae olim exstiterunt, tantum Pindarica

[1]) De Bacchylide Pindari artis socio et imitatore 1900.
[2]) cf. Herm. Schultz: De elocutionis Pindaricae colore epico, 1905.
[3]) De hac re vide Mrose: De syntaxi Bacchylidea et Schöne: De dialecto Bacchylidea, Leipziger Studien 1899 p. 181 sqq.

I. Praefatio.

Ad ingenium atque artem cuiusvis poetae recte aestimanda maximi momenti est quaerere, ex quibus fontibus hauserit atque quatenus ex se ipse sententias et elocutiones genuerit. Si haec quaestio proponitur de Bacchylide poeta chorico, statim Pindarus in memoriam venit. Hic quoque carmina epinicia composuit, quae nobis servata sunt. Itaque interest explorare, quae ratio inter utrumque poetam intercedat. Atque vero K. Prentice[1]) in lucem protulit Bacchylidem non paucis locis cum Pindaro aequali suo consentire.

Atque dubium non est, quin Homerus sermonem quendam effecerit, quo omnes poetae posteriores usi sunt. Atque Pindarus quoque, qui sermonem maxime proprium praebet, elocutiones Homericas adhibuit.[2]) Maxime igitur interest quaerere, quem ad modum Bacchylides ex Homero pendeat. Non autem mihi proposui disserere de dialecto Bacchylidea sive de rebus syntacticis,[3]) sed agere volo de ea ratione, quae in fabulis enarrandis atque praecipue in sermone formando inter Bacchylidem atque Homerum intercedit.

II. De Fabulis.

Usque ad nostram aetatem ex permagno numero carminum epiniciorum, quae olim exstiterunt, tantum Pindarica

---

[1]) De Bacchylide Pindari artis socio et imitatore 1900.
[2]) cf. Herm. Schultz: De elocutionis Pindaricae colore epico, 1905.
[3]) De hac re vide Mrose: De syntaxi Bacchylidea et Schöne: De dialecto Bacchylidea, Leipziger Studien 1899 p. 181 sqq.

servata erant. Tamen iam ex eis cognosci poterat paene semper in epiniciis fabulam aliquam fuisse. Quod nunc Bacchylidis carminibus plane probatur. In his quoque paene omnibus partem mythicam invenimus. Dubium igitur non est, quin mythus epiniciis conjunctus fuerit.[1]) Qua parte mythica victoria cellebranda illustrari solebat. Atque Pindarus fabulas a maioribus traditas non raro mutavit atque recreavit. Quaestio igitur est, num Bacchylides quoque ita egerit. Ad hoc discernendum nobis explorandum est, quem ad modum Bacchylides mythos ex Homero sumptos tractaverit.

In primis autem sine dubio carmen quintum spectandum est. Ubi poeta ante oculos collocat, quomodo Hercules apud inferos cum Meleagro congrediatur. Nam Hercules ad inferos descenderat, ut Cerberum in lucem proferret. Atque ibi umbrae omnes eum fugerunt praeter Meleagrum, qui armis nitens adversum stetit. Quem videns Hercules statim ad pugnam se parat. Ille autem monet, ne arcum in umbram tendat. Atque Herculi obstupescenti quaerentique, quis talem virum genuerit et quis tam fortem audacemque heroem interfecerit, Meleager narrat, quis exitus suus fuerit. Dianam ait cum a patre Oeneo neglecta esset, aprum magnum in agros Calydonios misisse, qui hortos vastavisset et pecudes occidisset. Tum optimos fortissimosque Graecos undique convenisse, ut aprum interficerent. Bestiam autem praeter multos alios Ancaeum et Agelaum fratres occidisse. Denique aprum quoque occisum esse. Sed ira Dianae nondum placata de pelle monstri pugnam inter Aetolos et Curetes exortam esse. Quo in proelio Iphiclum et Apharetum, matris fratres, pro portis Pleuronis, Curetum urbis, a se interfectos esse. Quo facto matrem iratam sibi lignum combussisse et vitam ademisse. Nam secundum Parcarum vaticinationem cum hac taeda vitam

[1]) De epiniciorum compositione cf. Blaß in Mus. Rhen. 53 p. 286 sq.

suam conjunctam esse. Tum Hercules Meleagri sorte commotus dicitur lacrimas fudisse et hominum fortunam questus esse. Cui deinde ex Meleagro quaerenti, num domi sororem sui similem reliquerit, quam in matrimonium ducturus sit, ille Deianiram nominat. Ita Bacchylides.

Nunc si quaeritur, ex quo fonte poeta lyricus hauserit, eum in priore fabulae parte Homerum sequi apparet. Nam et apud Homerum et apud Bacchylidem Diana permagna ira in Oeneum affecta est, cf. Hom. I, 537 sq. *ἀάσατο δὲ μέγα θυμῷ. ἡ δὲ χολωσαμένη* cum Bacchyl. V, 103 sq. *ἀλλ᾽ ἀνίκατον θεὰ | ἔσχεν χόλον.* Bacchylides sane non dicit; qua de causa Diana irascatur, quod Homerus commemorat. Cf. I 535 sq.: *ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ᾽ ἑκατόμβας*
οἴῃ δ᾽οὐκ ἔρρεξε Διὸς κούρῃ μεγάλοιο
ἢ λάθετ᾽ ἢ οὐκ ἐνόησεν.

Atque dea, ut se ulcisceretur, immanem et terribilem aprum misit, qui terram Calydoniam vastabat. Quod Homerus narrat v. 539 sqq.:

ὦρσεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον ἀγριόδοντα,
ὃς κακὰ πόλλ᾽ ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν·
πολλὰ δ᾽ ὅ γε προθέλυμνα χαμαὶ βάλε δένδρεα μακρά
αὐτῇσιν ῥίζῃσι καὶ αὐτοῖς ἄνθεσι μήλων.

Ex quibus plane elucet aprum nullum aliud malum Oenei terrae intulisse nisi agros vastasse. Nam versus 546:

τόσσος ἔην, πολλοὺς δὲ πυρῆς ἐπέβησ᾽ ἀλεγεινῆς

sine dubio ad venatores, non ad Calydonis incolas spectat.

Quomodo apud Bacchylidem aper terrae nocuerit invenimus in v. 107-110:

ἔνθα πλημμύρων σθένει
ὄρχους ἐπέκειρεν ὀδόντι,
σφάζε τε μῆλα, βροτῶν
θ᾽ ὅστις εἰσάνταν μόλοι.

Atque monstrum non solum terram vastasse, sed etiam homines gregesque interfecisse hi versus testes sunt. Hoc loco igitur Bacchylides auxit, quae Homerus attulit, cum

antea Homerus ipse uberior esset. Commemorabile est Bacchylidem hoc loco ad greges significandas voce *μῆλα* uti, quae vox Homerico loco significat *Apfel* aut melius *Obst, Früchte.* Sane in hoc verbo utraque vis inesse potest. Sed tamen id a Bacchylide non fortuito usurpatum esse, sed ex Iliade fluxisse recte iam Wilamowitzius, vir doctissimus, suspicatus est,[1] Mirum sane est, quod Bacchylides Homeri verba falso interpretatus est, sed non video, quomodo poeta ab hoc levitatis crimine liberari possit; haesit in sua memoria vox *μήλων*, sed contextum non curavit. Hoc errore certissime mea quidem sententia demonstratur Bacchylidem haec non ex alio carmine, quod eandem fabulam narraret, sed ex ipso Homero hausisse.

Nunc de apri venatione. Homerus enim pergit v. 543 sqq.:

τὸν δ' υἱὸς Οἰνῆος ἀπέκτεινεν Μελέαγρος,
πολλέων ἐκ πολίων θηρήτορας ἄνδρας ἀγείρας
καὶ κύνας· οὐ μὲν γάρ κ' ἐδάμη παύροισι βροτοῖσιν.
τόσσος ἔην, πολλοὺς δὲ πυρῆς ἐπέβησ' ἀλεγεινῆς.

Ex his versibus sequitur, ut Meleager ipse, postquam multi ex venatoribus collectis interfecti sunt, beluam occiderit. Bacchylides de hac re dissentire videtur. Nam nullo loco dicit aprum a Meleagro caesum esse, sed tantum commemorat beluam post sex dies interfectam esse. Atque porro ex permagno venatorum numero nemo nisi duo viri occisi erant, quos Bacchylides nominat Ancaeum et Agelaum. Cf. v. 111 sqq.:

τῷ δὲ στυγερὰν δῆριν Ἑλλάνων ἄριστοι
στασάμεθ' ἐνδυκέως
ἓξ ἄματα συνεχέως· ἐπεὶ δὲ δαίμων
κάρτος Αἰτωλοῖς ὄρεξεν,
θάπτομεν οὓς κατέπε-
φνεν σῦς ἐριβρύχας ἐπαΐσσων βίᾳ,
Ἀγκαῖον ἐμῶν τ' Ἀγέλαον
φ[έρτ]ατον κεδνῶν ἀδελφεῶν.

[1]) v. Goett. gel. Anz. 1898, 157.

Atque etiam in proelio, quod post aprum occisum inter Aetolos et Curetes ortum est, describendo Bacchylides cum Homero non plane consentit. Nam apud Homerum pugnatur de capite et pelle, apud Bacchylidem autem nihil aliud nisi pellis est praemium. Deinde in hac pugna Meleagrum unum avunculum interfecisse Homerus tradidit, cum ex Bacchylidea narratione videamus duos necatos esse. Cf. Hom. v. 566 sq.:

. . . . ἥ ῥα θεοῖσιν
πόλλ' ἀχέουσ' ἠρᾶτο κασιγνήτοιο φόνοιο

cum Bacch. v. 127 sqq.:

ἔνθ' ἐγὼ πολλοῖς σὺν ἄλλοις
Ἴφικλον κατέκτανον
ἐσθλόν τ' Ἀφάρητα, θοοὺς μάτρωας·

Ex his allatis apparet Bacchylidem a narratione Homerica non raro recedere; adhibuit igitur praeter Homerum alium quoque fontem. Sed antequam hoc discernamus, spectemus, quomodo venatio apud posteros narretur. Kekulé (de fabula Meleagrea 10) putat, iam apud poetas post Homerum epicos Atalantam apri venationi interfuisse. Quod etiam hac re probari videtur, quod Atalanta iam in eo vase, quod vocamus François-Vase, invenitur, quod vas fere centum annos ante Bacchylidem fictum est. Apud Homerum autem, fontem antiquissimum, Atalanta virgo non exstat. Posterioribus temporibus Meleagri amor in virginem in amplissimum locum productus est. Probabile est Euripidem primum fabulam sic finxisse. Meleager enim, qui aprum interfecit, amore adductus Atalantae caput et pellem dedit.[1]) Quod ceteri venatores praecipue Meleagri avunculi non concesserunt et Atalantam munere spoliaverunt. Quo facto iratus Meleager avunculos suos interfecit. Amor igitur Meleagri in Atalantam apud hos scriptores maximi momenti est, non autem certamen, quod de praeda inter Ae-

[1]) Cf. Apollod. bibl. I 86: *Μελέαγρς δὲ . . . ἀπέκτεινε, καὶ λαβὼν τὸ δέρας ἔδωκεν Ἀταλάντῃ.*

tolos atque Curetes ortum erat. Ut iam commemoravi Atalanta apud Homerum deest. Item Bacchylides de virgine tacet. Porro apud utrumque poetam Dianae ira causa est, cur incolae Pleuronis et Calydonis de apri pelle inter se certent. Cf. enim Hom. v. 547 sqq.:

ἡ δ' ἀμφ' αὐτῷ θῆκε πολὺν κέλαδον καὶ ἀυτήν,
ἀμφὶ συὸς κεφαλῇ καὶ δέρματι λαχνήεντι,
Κουρήτων τε μεσηγὺ καὶ Αἰτωλῶν μεγαθύμων.

et Bacch. v. 122 sqq.:

. . . οὐ γάρ πω δαΐφρων
παῦσεν] χόλον ἀγροτέρα
Λατοῦς θυγάτηρ· περὶ δ' αἴθωνος δορᾶς
μαρνάμεθ' ἐνδυκέως
Κουρῆσι μενεπτολέμοις.

Quibus ex allatis videmus Bacchylidem in hac re, quae ad totam fabulam aestimandam maximi momenti est, plane cum Homero consentire. Itaque dubium non est, quin Bacchylides, etiamsi in parvulis rebus ab Homero recedat, tamen eam rem, quae huic fabulae certum colorem praebet, ex Homero deprompserit.

Nunc tractemus alteram fabulae partem. Apud Bacchylidem statim, postquam Meleager avunculos in pugna necavit, mater de morte certior facta id lignum dolore perturbata ex arca sumit et incendit, in quo ut ita dicam vita Meleagri habitabat. Atque simulac taeda flammis absumpta est, Meleager pugnans ante Pleuronis portas e vita decedit. Vide Bacch. v. 140 sqq.:

Καῖέ τε δαιδαλέας
ἐκ λάρνακος ὠκύμορον
φιτρὸν ἐξαΐσασα[1]*), τὸν δὴ*
μοῖρ' ἐπέκλωσεν τότε
ζωᾶς ὅρον ἁμετέρας ἔμμεν. τύχον μὲν
Δαϊπύλου Κλύμενον

[1]) Hoc Wackernagel (Hermes 40, 154) pro *ἐγκλαυσασα*, quod papyrus scribit, conjecit.

παῖδ' ἄλκιμον ἐξεναρί-
ζων ἀμώμητον δέμας,
πύργων προπάροιθε κιχήσας·
τοὶ δὲ πρὸς εὐκτιμέναν
φεῦγον ἀρχαίαν πόλιν
Πλευρῶνα· μίνυνθα δέ μοι ψυχὰ γλυκεῖα·
γνῶν δ' ὀλιγοσθενέων,
αἰαῖ· πύματον δὲ πνέων δάκρυσα τλ[άμων,
ἀγλαὰν ἥβαν προλείπων.

Apud Homerum Meleagri mater dolore fratris amissi adducta filium devovet et a diis inferis petit, ut Meleagro mortem inferant. V. v. 568 sqq.:

πολλὰ δὲ καὶ γαῖαν πολυφόρβην χερσὶν ἀλοία
κικλήσκουσ' Ἀίδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν
πρόχνυ καθεζομένη, δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι,
παιδὶ δόμεν θάνατον·

Quam devotionem Meleager gravissime fert et e pugna domum revertitur. [v. 556 sq.] Quoniam Meleager pugnae iam non interfuit, Calydonii opprimebantur et urbs ipsa summum in periculum atque discrimen vocabatur. [v. 573 sq.] Tum omnes cives, etiam pater atque mater ipsa eius auxilium implorabant. Neque quisquam ei persuadere poterat, ut cives oppressos adiuvaret. Sed cum flammae tecto proprio imminerent, Meleager uxoris precibus victus patriam servavit. Nullo autem loco Homerus dicit Meleagrum in hac pugna mortuum esse. Cf. v. 597 sqq.:

ὣς ὁ μὲν Αἰτωλοῖσιν ἀπήμυνεν κακὸν ἦμαρ
εἴξας ᾧ θυμῷ. τῷ δ' οὐκέτι δῶρα τέλεσσαν
πολλά τε καὶ χαρίεντα, κακὸν δ' ἤμυνε καὶ αὔτως.

Atque primo aspectu apparet Bacchylidis narrationem ab Homeri plane diversam esse et propterea fieri non potest, ut Bacchylides in hac parte narranda Homerum secutus sit. Ex his autem nondum sequitur, ut Bacchylides narrationem Homericam primus mutaverit atque ex se ipse nova recreaverit. Nam perspice attentius locum Homeri, cog-

nosces Homerum ipsum vetustissimam fabulae formam minime praebere. Nam sine dubio fabula, quam in Homero invenimus, Achillis condicioni accomodata est. Narrat enim Phoenix Meleagri historiam, ut hoc exemplo animum Achillis frangat. Itaque ineptissimum fuisset dicere Meleagrum in illa pugna e vita decessisse. Achilles enim, si ipsi moriendum proponeretur, ad pugnandum minime commoveri potuisset. Qua de causa Meleagrum mortuum esse Homerus narrare non potest.[1])

Qua ex re apparet Homerum vetustissimam fabulae formam non praebere, alium igitur fontem epicum praeter Homerum fuisse, qui fabulam Meleagream aliter tradidit. Quaerimus statim, qualis hic fons fuerit. Nam apud Bacchylidem Meleager culpa matris illam taedam comburentis moritur. Pausanias[2]) autem tradidit Phrynichum poetam primum lignum fatale in tragoediam induxisse. Atque Plew[3]) lignum ab hoc poeta in Meleagri fabulam esse insertum censet. Sed putare non possum saeculo quinto vel sexto talem fabulam tantopere mutatam esse, immo mihi persuasi torrem symbolum esse et ea causa dignum qui antiquissimae mythi formae tribuatur.[4])

Itaque id carmen epicum, in quo fabulae Meleagreae forma genuina inerat, iam illam taedam fatalem praebuisse puto. Atque nihil obstat, quominus Bacchylides atque Phrynichus ex eodem carmine hauserint. Sane alii tradunt, Meleagrum ab Apolline necatum esse.[5]) Hoc autem in

---

[1]) cf. Robert, Herm. 33, 157. Aliter iudicant Pausanias qui sane argumentum Homeri falso reddit X 31, 3, *ἐς δὲ τοῦ Μελεάγρου τὴν τελευτὴν Ὁμήρῳ μέν ἐστιν εἰρημένα, ὡς Ἐρινὺς καταρῶν ἀκοῦσαι τῶν Ἀλθαίας καὶ ἀποθάνοι κατὰ ταύτην ὁ Μελέαγρος τὴν αἰτίαν* et Kuhnert Rosch. Lex. der griech. und röm. Myth. II 2 p. 2592 sq.

[2]) X 31, 4.

[3]) Preller, Griech. Mythol. 2^3, 305.

[4]) cf. etiam Feuerbach, Nachgelassene Schriften 4, 7; Kekulé, de fabula Meleagrea p. 7; Kuhnert, Rosch. Lex. der griech. u. röm. Myth. II 2, 2593 sq.

[5]) Paus. X 31, 3.

medio relinquere possumus, praesertim cum Bacchylides id omnino non spectet atque lignum in vetusta narratione fuisse mea sententia certum sit.

Bacchylides igitur in fabula Meleagrea narranda partim Homerum secutus est, partim ex alio fonte vetusto hausit.

Secundo loco inspiciamus carmen XII, cuius mythum in Homeri quoque carminibus invenimus. Narratur quomodo Aiax, cum ceteri Graeci recesserint, solus cum hostibus pugnet et Hectoris naves Graecorum incensuri impetum repellat. Manifeste manaverunt Bacchylidis versus 104 sqq.:

Αἴαντα σακεσφόρον ἥ[ρω,
ὅστ᾽ ἐπὶ πρύμνᾳ σταθεὶς
ἔσχεν θρασυκάρδιον [ὁρ-
μαίνοντα ν[ᾶας
θεσπεσίῳ πυ[ρὶ καῦσαι
Ἕκτορα χαλ[κεομίτρα]ν.

ex Hom. O 674 sqq.:

οὐδ᾽ ἄρ᾽ ἔτ᾽ Αἴαντι μεγαλήτορι ἥνδανε θυμῷ
ἑστάμεν, ἔνθα περ ἄλλοι ἀφέστασαν υἷες Ἀχαίων·
ἀλλ᾽ ὅ γε νηῶν ἴκρι᾽ ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων,
νώμα δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσιν.

vel ex O 685 sq.:

ὣς Αἴας ἐπὶ πολλὰ θοάων ἴκρια νηῶν
φοίτα μακρὰ βιβάς, φωνὴ δέ οἱ αἰθέρ᾽ ἵκανεν.

vel praecipue ex O 730 sq.:

ἔνθ᾽ ἄρ᾽ ὅ γ᾽ ἑστήκει δεδοκημένος, ἔγχεϊ δ᾽αἰεὶ
Τρῶας ἄμυνε νεῶν, ὅς τις φέροι ἀκάματον πῦρ.

πρύμνα quoque apud Homerum commemoratur O 704:

Ἕκτωρ δὲ πρύμνης νεὸς ἥψατο ποντοπόροιο.

Sed ex allatis versibus nondum cognoscimus Hectorem ipsum in naves Graecorum ignem inicere voluisse. Tamen hoc quoque Bacchylides ex Homero deprompsit. Nam O 596 sq. Juppiter decernit, ut incendat Hector Graecorum naves.

Ἕκτορι γάρ οἱ θυμὸς ἐβούλετο κῦδος ὀρέξαι
Πριαμίδῃ, ἵνα νηυσὶ κορωνίσι θεσπιδαὲς πῦρ
ἐμβάλοι ἀκάματον.

In ipsa pugnae descriptione Hector non ipse ignem inicit, sed reliquos Troes eum afferre iubet. Cf. v. 718:

οἴσετε πῦρ, ἅμα δ' αὐτοὶ ἀολλέες ὄρνυτ' ἀυτήν

et v. 730:

Aiax ἔγχεϊ δ' αἰεί
Τρῶας ἄμυνε νεῶν, ὅς τις φέροι ἀκάματον πῦρ.

Tum Bacchylides narrat has Achaeorum angustias ortas esse, ex quo Achilles pugnae non intererat. Nam dum hic inter Graecos pugnabat, Trojani ex urbis muris non procedebant metuentes, ne incurrerent in apertam perniciem, si in campum deducti cum tali viro dimicarent. Cf. v. 114 sqq:

οἳ πρὶν μὲν π[ολύπυργο]ν
Ἰλίου θαητὸν ἄστυ
οὐ λεῖπον, ἀτυζόμενοι [δὲ
πτᾶσσον ὀξεῖαν μάχαν,
εὖτ' ἐν πεδίῳ κλονέων
μαίνοιτ' Ἀχιλλεύς,
λαοφόνον δόρυ σείων.

Hic locus manifeste pendet ab Hom. E 788 sqq.:

ὄφρα μὲν ἐς πόλεμον πωλέσκετο δῖος Ἀχιλλεύς,
οὐδέ ποτε Τρῶες πρὸ πυλάων Δαρδανιάων
οἴχνεσκον· κείνου γὰρ ἐδείδισαν ὄβριμον ἔγχος·[1])

Sed cum Achilles ira commotus ex pugna abiisset atque in tentorium suum recessisset, Trojani urbem reliquerant et Graecorum navibus summum periculum intulerant. Atque Bacchylides Trojanorum exercitum ex urbe in campum evadentem fusius describit pulchra comparatione praemissa v. 124 sqq. Dicit 141 sqq.:

[1]) Cf. etiam I 352 sqq. — Infra probabo Bacchylidem, quamquam sine dubio hunc locum Homericum secutus sit, tamen suas elocutiones non ex hoc loco, sed ex aliis locis Homericis deprompsisse.

πασσυδίᾳ δὲ λιπόντες
τείχεα Λαομέδοντος
ἐς πεδίον κρατερὰν
ἆιξαν ὑσμίναν φέροντες·
ὦρσάν τε φόβον Δαναοῖς·

Homerus cum Trojanos primum ex urbe procedentes describit satis pauca verba facit B 809 sq.:

πᾶσαι δ' ὠίγνυντο πύλαι, ἐκ δ' ἔσσυτο λαός
πεζοί θ' ἱππῆές τε· πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ὀρώρει,

sed adverbium πασσυδίᾳ apud Bacchylidem pendet ni fallor a versu 809 Homeri. Illi quoque versus, quibus Bacchylides causam irae Achillis narrat, ad Homeri locum aliquem proxime accedunt. Cf. Bacch. v. 135 sqq.:

Ἀχιλλέα
μίμνοντ' ἐν κλισίῃσιν
εἵνεκεν ξανθᾶς γυναικός,
Βρισηΐδος ἱμερογυίου

cum Hom. B 688 sq.:

κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς
κούρης χωόμενος Βρισηΐδος ἠυκόμοιο.

Iam hic monuerim consulto Bacchylidem epitheton Briseidis Homericum mutasse, quamquam ad metrum suum ἠυκόμοιο non minus quadrasset quam ἱμερογυίου; reliqua quoque verba Homerica consulto vitavit cf. μίμνοντ' ἐν κλισίῃσιν — κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι, ξανθᾶς γυναικός — κούρης.

At Graeci in fugam repulsantur, non solum quia Achilles e pugna recessit, sed etiam quia dei Trojanos ad pugnandum monent impelluntque. Nam a Bacchylide Apollo atque Ares Trojanis animum afferentes introducuntur v. 146 sqq.:

ὄτρυνε δ' Ἄρης
εὐεγχής, Λυκίων τε
Λοξίας ἄναξ Ἀπόλλων.

Sed loco Homerico, quo haec pugna describitur, nullum alium deum nisi Apollinem Trojanos adiuvantem invenies.

Nam Apollo, ut Hectorem ad bellum incitet, ab Jove mittitur cf. O 231 sqq.:

σοὶ δ᾽ αὐτῷ μελέτω, ἑκατηβόλε, φαίδιμος Ἕκτωρ·
τόφρα γὰρ οὖν οἱ ἔγειρε μένος μέγα, ὄφρ᾽ ἂν Ἀχαιοί
φεύγοντες νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκωνται.[1])

Atque vero Apollinem deum Hectori certanti viam paravisse testes sunt Homeri v. O 306 sqq.:

Τρῶες δὲ προύτυψαν ἀολλέες, ἦρχε δ᾽ ἄρ᾽ Ἕκτωρ
μακρὰ βιβάς· πρόσθεν δὲ κί᾽ αὐτοῦ Φοῖβος Ἀπόλλων
εἱμένος ὤμοιιν νεφέλην, e. q. s.

Ex his sequi videtur, ut Bacchylides, qui praeter Apollinem Arem quoque Trojanos adiuvantem profert, Homeri narrationem auxerit. Sed huic rei ipsi iterum Homerus exemplum est. Nam in Hom. E Arem Trojanorum adiutorem invenimus. Ubi Apollo Jove monente ab Are petit, ut Diomedem, qui in hostium copias fortissime incurrit, repellat. Vide Hom. E 455 sqq.:

Ἆρες Ἄρες βροτολοιγέ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα,
οὐκ ἂν δὴ τόνδ᾽ ἄνδρα μάχης ἐρύσαιο μετελθών,
Τυδεΐδην, ὃς νῦν γε καὶ ἂν Διὶ πατρὶ μάχοιτο.

Atque Ares statim Trojanis oppressis auxilium fert, quod videmus ex E 592:

. . . *ἦρχε δ᾽ ἄρα σφιν Ἄρης καὶ πότνι᾽ Ἐνυώ* et praecipue ex v. 594 sqq.:

Ἄρης δ᾽ ἐν παλάμῃσι πελώριον ἔγχος ἐνώμα,
φοίτα δ᾽ ἄλλοτε μὲν πρόσθ᾽ Ἕκτορος, ἄλλοτ᾽ ὄπισθεν.

Deinde quomodo apud naves pugnetur, Bacchylides paucis versibus describit, de qua pugna Homerus toto libro XIII. agit. Sed nihil inveniri potest, in quo poeta lyricus ab Homero dissentiat.

Videmus igitur Bacchylidem in tota fabula narranda, etiamsi non servilem in modum in verbis Homeri haereat, tamen in universum Homerum secutum esse neque fabulam

[1]) cf. etiam O 59 sq. et O 258 sqq.

mutasse neque auxisse. Hoc dignum est, quod commemoretur in Bacchylidis carmine Achillem atque Aiantem genus suum ducere ex Aegina, quae insula fuit patria victoris celebrandi, cum in Homeri carminibus hi viri nullo sanguinis vinculo conjuncti sint. Nam Peleum, Achillis patrem, et Telamonem, patrem Aiantis fratres esse Homerus non testatur. Demum posterioribus temporibus Achilles et Aias affinitate conjuncti habebantur.

Quod ad reliqua carmina attinet, carmen XIV dignum esse videtur, quod breviter tractetur. Poeta enim narrat Ulixem et Menelaum, antequam Trojae bellum inferretur, Trojam in urbem venisse, ut Helenam reposcerent. Quos hospitio acceptos, postquam Minervam deam precati essent, ab Antenore in Trojanorum contionem ductos esse. Ubi Helenam frustra repetitam esse. Carmen oratione Menelai clauditur, vel potius in papyro abrumpitur. Preuss[1]) iudicat Bacchylidem in ea fabula narranda non Homerum secutum esse, qui hanc fabulam tantum leviter tangeret. Atque ego quidem non negabo in Cypriis hanc fabulam verbis expressis esse narratam. Sed hoc carmen non servatur. Itaque hanc rem certe diiudicare non possumus. Dicit sane Proclus chrest. I Cypriorum argumentum referens *καὶ διαπρεσβεύονται πρὸς τοὺς Τρῶας τὴν Ἑλένην καὶ τὰ κτήματα ἀπαιτοῦντες*, sed Procli testimoniis diffidere nos docuit Ericus Bethe Herm. 26, 593 sqq., cf. Epit. Apoll. XVII,14. Minime autem hic mythus ab Homero tantum leviter tangitur, quod Preuss concludit ex Il. *Λ* 139 sq. et ex Il. Η 347 sqq. Non enim hi loci spectandi sunt, sed mea sententia maximi momenti est Il. *Γ* 205-24. Quo loco Homerus Helenam Troum senibus Graecorum duces nominantem ante oculos ponit. Atque cum Ulixes ab Helena vocetur, Antenor senex satis multis verbis narrat, semel iam Ulixem Menelaumque, antequam bellum coepisset, in Troum contione fuisse, ut Helenam reposcerent. Vide enim v. 205 sq.:

[1]) de fabulis apud Bacchylidem p. 36.

ἤδη γὰρ καὶ δεῦρό ποτ' ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεύς,
σεῦ ἕνεκ' ἀγγελίης, σὺν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ·
τοὺς δ' ἐγὼ ἐξείνισσα e. q. s.

Spectemus nunc, quomodo Bacchylides hanc fabulam depinxerit. Sane carminis principium pessime habitum est, tamen ex perpaucis servatis cognosci potest, Graecorum legatos ab Antenore vel potius a Theanone, Antenoris uxore[1]) hospitio exceptos esse. In servatis autem versibus Ulixem et Menelaum in convocata Troum contione versari primumque ibi verba facere Menelaum invenies. Atque Menelai oratione carmen clauditur. Nunc comparemus ea, quae Homerus tradiderit. Ulixes et Menelaus ab Antenore hospitaliter recepti in Troum contionem veniunt, ubi Menelaus ad Helenam reposcendam prior orationem brevem gravemque habet, Ulixes autem secundus. Cf. v. 207 sqq.:

τοὺς δ' ἐγὼ ἐξείνισσα καὶ ἐν μεγάροισι φίλησα,
ἀμφοτέρων δὲ φυὴν ἐδάην καὶ μήδεα πυκνά.
ἀλλ' ὅτε δὴ Τρώεσσιν ἐν ἀγρομένοισιν ἔμιχθεν,
στάντων μὲν Μενέλαος ὑπείρεχεν εὐρέας ὤμους,
ἄμφω δ' ἑζομένω, γεραρώτερος ἦεν Ὀδυσσεύς.
ἀλλ' ὅτε δὴ μύθους καὶ μήδεα πᾶσιν ὕφαινον,
ἤ τοι μὲν Μενέλαος ἐπιτροχάδην ἀγόρευεν,
παῦρα μέν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος,
οὐδ' ἀφαμαρτοεπής, εἰ καὶ γένει ὕστερος ἦεν.
ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς,
στάσκεν, e. q. s.

Bacchylides igitur cum Homero satis bene congruit, nisi quod Menelai orationem magis exornat, quam secundum Homerum exspectaveris, probabile igitur est hunc locum Homericum poetae lyrico ante oculos versatum esse. In hac una re ab Homero differt Bacchylides, quod Stesichorum (fr. 42 Bergk) et fortasse Hesiodum (Robert, Bild und Lied 190) secutus Menelaum non Atrei, sed Pleisthenis filium vocat.

[1]) Theano apud Homerum quoque Antenoris uxor est Z 298 sq.

Haec habui, quae Bacchylidem in fabulis tractandis ex Homero hausisse probem. Vidimus hunc poetam eam formam, quae est in Homeri carminibus, praebere exceptis nonnullis rebus parvulis. Itaque assentior Roberto, qui censet[1]): „Aber Bacchylides tritt nicht, wie Stesichorus und in manchen Fällen auch Pindar, kritisierend, umgestaltend, neuerfindend an die überkommenen Stoffe heran; er gibt getreulich teils die epische Tradition, teils, was häufig auf dasselbe hinauskommt, die seiner Zeit geläufige Sagenform wieder". e. q. s.

III. De sermonis colore Homerico.

In hoc capite non de dialecti epicae vestigiis, quae apud Bacchylidem inveniuntur, agam. Hanc enim quaestionem absolvit Johannes Schöne in dissertatione Lipsiensi de dialecto Bacchylidea[2]). Meum est explorare, quomodo Ceus poeta thesauros uberrimos dictionis Homericae expilaverit, quomodo fragmina, ut ita dicam, Homericorum verborum conflaverit, ut nova ex eis orerentur. Atque Bacchylidem etiam totas elocutiones ex Homero sumpsisse inveniemus. Sed de hac quidem re infra. Nunc primum quidem examinemus, quomodo fiat, ut sermonis forma Homericum colorem reddat.

a. De Epithetis.

Primo obtutu, si Bacchylidis carmina legimus, poetam epithetis ornantibus abundare intellegimus. Constat autem hoc Homeri proprium esse, cuius in carminibus neque ulla persona neque ullae res sine ornatu occurrant. Itaque quaerendum est, quae ratio inter epithetorum usum, quem uterque poeta secutus sit, intercedat. At longum est enumerare omnia epitheta Homerica, quae in Bacchylidis carminibus

[1]) Herm, 33,130.
[2]) Leipziger Studien XIX 181 sqq.

iuveniuntur. Immo agere velim primum de iis, quae sine dubio poeta lyricus ex Homero deprompsit et, quod caput est, quomodo ea adhibuerit, tum de iis, quae Bacchylides novavit. Atque primo loco afferam formulas, quas Bacchylides ex Homero exsumpsit epitheto a nomine non sejuncto.

III 28[1]) ὁ χρυσάορος Ἀπόλλων = E 509 Ἀπόλλωνος χρυσαόρου[2])
III 62 Πυθὼ ἀγαθέαν = θ 80 Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ
V 58 Διὸς ἀργικεραύνου = T 121 Ζεῦ πάτερ ἀργικέραυνε
V 59 Φερσεφόνας τανισφύρου = hym. V,2 Περσεφόνην τανύσφυρον
VIII 7 ἁ λευκώλενος Ἥρα = Θ 484 λευκώλενος Ἥρη
X 38 Ἄρτεμις χρυσαλάκατος = Π 183 Ἀρτέμιδος χρυσηλακάτου
X 107 θηροσκόπος Ἄρτεμις = hym. 27,11 θηροσκόπος Ἄρτεμις
XII 128 σὺν φαυσιμβρότῳ Ἀοῖ = Ω 785 φαεσίμβροτος Ἠώς.
XII 195 μεγάθυμος Ἀθάνα = θ 520 μεγάθυμον Ἀθήνην
X 78 Κύκλωπες ὑπερφίαλοι = ι 106 Κυκλώπων ὑπερφιάλων
VIII 46 ὑψιπύλου Τροίας = Π 698 ὑψίπυλον Τροίην
X 80 ἱππόβοτον Ἄργος = I 246 Ἄργεος ἱπποβότοιο
IV 6 ὠ[κυ]πόδ[ων] ἵππων = E 295 ἵπποι ὠκύποδες
V 60 καρχαρόδοντα κύνα = K 360 καρχαρόδοντε κύνε
VIII 9 βαρύφθογγον λέοντα = hym. IV 159 βαρυφθόγγων λεόντων
XVI 103 ἀγλαῶν γυίων = T 385 ἀγλαὰ γυῖα
XVI 113 κόμαισι οὔλαις = ζ 231 οὔλας κόμας
XVII 47 φαιδίμοισιν ὤμοις = λ 128 φαιδίμῳ ὤμῳ
fr. 17,3 λευκὸν πῆχυν = E 314 πήχεε λευκώ
X 87 φάσγανον ἄμφακες = K 256 φάσγανον ἄμφηκες
fr. 4,10 ξίφεα ἀμφάκεα = Φ 118 ξίφος ἄμφηκες
XVII 50 εὔτυκτον κυνέαν = Γ 336 κυνέην εὔτυκτον
XII 143 κρατερὰν ὑσμίναν = Ξ 448 κρατερὴν ὑσμίνην
XII 150 ναυσὶν εὐπρύμνοις = Δ 247 νῆες εὔπρυμνοι
XVI 1 κυανόπρῳρα ναῦς = O 693 νεὸς κυανοπρῴροιο

[1]) Numeros editionis Blassianae affero.

[2]) Satis habui earum formularum, quae saepius apud Homerum occurrunt, singula tantum testimonia afferre.

XV 25 μῆτιν ἐπίφρονα = τ 326 ἐπίφρονα μῆτιν
fr. 4,13 μελίφρων ὕπνος = B 34 μελίφρων ὕπνος
fr. 5,2 ἀρρήτων ἐπέων = ξ 466 ἔπος ἄρρητον
XII 49 παντοίαισι τέχναις = ζ 234 τέχνην παντοίην
fr. 21,2 πορφύρεοι τάπητες = I 200 τάπησι πορφυρέοισιν
fr. 22,1 λάϊνον οὐδόν = θ 80 λάϊνον οὐδόν
X 93 δάσκιον ὕλαν = O 273 δάσκιος ὕλη
XII 64 κυάνεον νέφος = Π 66 κυάνεον νέφος.

Dixerit quispiam minime ex hoc indice sequi, ut Bacchylides Homerum magis expilaverit quam alii poetae. Nam Pindarum quoque non raro formulis Homericis usum esse. Atque vero poetam Thebanum fere 40 formulas Homericas immutatas adhibuisse Schultz testatur[1]), index meus Bacchylideus 30 exempla complectitur. At respice omnes, qui exstant, versus Bacchylidis vix Pindari unum librum Olympionicarum numero aequare,[2]) ergo pro versuum numero exempla Bacchylidea multo crebriora sunt quam Pindarica. Accedit quod multum interest inter formulas ab utroque poeta ex Homero depromptas. Nam perspice indicem, quem Schultz affert, pleraque epitheta, quae Pindarus mutuatus est, ab omnibus poetis detrita esse invenies. Ex. gr. in epithetis, quas Pindarus ex Homeri carminibus sumpsit, occurrunt haec: φίλος, χάλκεος, ὠκύς, γλυκύς, κοῖλος, εὐρύς, χρυσοῦς, ὀξύς, κεδνός e. q. s., quae omnia apud omnes scriptores exstant, cum in formulis Homericis, quae sunt in Bacchylidis carminibus, talia occurrant: βαρύφθογγος, εὔπρυμνος, ἱππόβοτος, καρχαρόδους, μελίφρων, ὑπερφίαλος, ὑψίπυλος, φαυσίμβροτος, χρυσαλάκατος, ὠκύπους e. q. s., quae Homeri vel poetarum epicorum maxime propria sunt. Ergo Bacchylides multo magis studuit quam Pindarus, ut colorem sermonis Homerici in sua carmina transferret. Nunc in

[1]) De elocutionis Pindaricae colore epico p. 31 sqq.

[2]) In computandis Pindari versibus non Boeckhianos sed, ut par est, codicum numeros secutus sum, nam Boeckhius periodos, Blass in Bacchylidis editione cola numerat.

exquirendis epithetis Bacchylideis pergamus. Quaerimus quae alia epitheta hic poeta ex Homero deprompserit atque maxime id spectamus, quomodo Bacchylides ea adhibuerit. Tractemus igitur primum epitheta deorum heroumque, quae poetae lyrico cum Homero communia sunt. Sane non affero talia, quae omnium fere poetarum usu detrita sunt velut *ἀγλαός, ἀθάνατος, ἄμβροτος, πότνια, φιλόξενος* alia. Sed his exceptis restat permagnus epithetorum numerus, quae ex Homero hausit. Atque mirum est, qua ratione Bacchylides epithetis usus sit. Nam ea, quae ex Homero deprompsit, epitheta plerumque non eidem deo aut heroi apposuit cui Homerus. Haec sunt exempla:

V 20 *Ζηνὸς ἐρισφαράγου*: hym. III 187 *ἐρισφαράγου Γαιηόχου*
XVIII 17 *εὐρυσθενέος Διός*: *Η* 455 *Ἐννοσίγαιε εὐρυσθενές*
XVI 77 *Κρονίδας Ποσειδάν*: *Β* 111 *Κρονίδης Ζεύς*
V 89 *καλλίζωνος Ἥρα*: *Η* 139 *καλλίζωνοι γυναῖκες*
X 99 *Λατοῦς θύγατρα βοῶπιν*: *Σ* 360 *βοῶπις πότνια Ἥρη*
V 99 *Ἀρτέμιδος λευκωλένου*: *Θ* 484 *λευκώλενος Ἥρη*
X 16 *βαθυζώνοιο Λατοῦς*: *Ι* 594 *βαθυζώνους γυναῖκας*
V 3 *ἰοστεφάνων Μοισᾶν*: hym. VI 18 *ἰοστεφάνου Κυθερείης*
XVIII 18 *Ἰνάχου ῥοδοδάκτυλος κόρα*: *Α* 477 *ῥοδοδάκτυλος Ἠώς*
I 126 *εὐπλόκαμος νύμφα*: *η* 41 *εὐπλόκαμος Ἀθήνη*
XII 184 *Εὐκλείᾳ φιλοστεφάνῳ*: hym. V 102 *φιλοστεφάνου Ἀφροδίτης*
XII 96 *Ἐνδαΐδα ῥοδόπαχυν*: hym. 31,6 *Ἠῶ ῥοδόπηχυν*
V 69 *Πορθανίδα θρασυμέμνονος*: *Ε* 639 *Ἡρακλῆα θρασυμέμνονα*
V 166 *Οἰνῆος ἀρηϊφίλου*: *Ρ* 138 *ἀρηΐφιλος Μενέλαος*
V 97 *πλάξιππος Οἰνεύς*: *Β* 104 *Πέλοπι πληξίππῳ*
X 25 *ἁγνοῦ Πέλοπος*: *σ* 202 *Ἄρτεμις ἁγνή*
XII 134 *αἰχματὰν Ἀχιλλέα*: *Ε* 197 *αἰχμητὰ Λυκάων*
V 130 *καρτερόθυμος Ἄρης*: *Ν* 350 *Ἀχιλλέα καρτερόθυμον*
XVIII 30 *ποδαρκέα ἄγγελον Διός*: *Α* 121 *ποδαρκὴς Ἀχιλλεύς*.

Deinde in Bacchylidis carminibus etiam epitheta ornantia

animalibus rebusque attributa invenimus, quae ab Homero semper deis hominibusque apposita sunt:

XII 160 *νᾶας κυανώπιδας*: *μ* 60 *κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης*
V 104 *εὐρυβίαν κάπρον* }
X 52 *πλούτῳ εὐρυβίᾳ* } : hym. V 294 *εὐρυβίῃ Κελειῷ*
XV 31 *φθόνος εὐρυβίας* }
I 164 *ἐλπίδι κυδροτέρᾳ*: *Σ* 184 *Διὸς κυδρὴ παράκοιτις*
X 102 *δυστάνοιο λύσσας*: *ε* 436 *δύστηνος Ὀδυσσεύς* (semper de hominibus)
V 23 *ὄρνιχες λιγύφθογγοι* }
IX 10 *λιγύφθογγον μέλισσαν* } : Β 50 *κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι*.

Ab altera autem parte *χρυσάμπυξ* apud Homerum equorum apud Bacchylidem Uraniae deae epitheton est. Cf. Bacch. V 13 *χρυσάμπυκος Οὐρανίας* cum Hom. *Ε* 358 alibi *χρυσάμπυκας ἵππους*[1]).

At non solum deorum heroumque epitheta Homerica aliis tribuere amat Bacchylides, haud raro transfert alia epitheta Homerica in alia nomina, ad quae non semper bene quadrant. Cuius usus haec exempla affero:

Haud longe ab exemplo Homerico recedit poeta cum epitheton aliquod ad aliud nomen synonymon transfert velut:

XVIII 9 *πολυηράτοις Ἀθάναις*: *λ* 275 *Θήβῃ πολυηράτῳ*
IX 31 *εὐρύχορον Ἄργος*: *λ* 265 *εὐρύχορον Θήβην*
V 184 *εὐπύργους Συρακόσας*: *Η* 71 *Τροίη εὔπυργος*
X 4 *πολυχρύσῳ Ὀλύμπῳ*: *Σ* 289 *Πριάμοιο πόλιν πολύχρυσον*
fr. 25,2 *πολιοκρόταφον γῆρας*: *Θ* 518 *πολιοκροτάφους γέροντας*
X 84 *ἄδματοι θύγατρες*: *ζ* 109 *παρθένος ἀδμής*
X 26 *Ἀλφεὸν καλλιρόαν*: *Β* 752 *καλλίρροον ὕδωρ*
XVI 82 *εὐπάκτων ἰκρίων*: *Β* 661 *μεγάρῳ εὐπήκτῳ*
XVII 33 *πολεμηΐοις ὅπλοισι*: *Η* 193 *πολεμήϊα τεύχεα*.

Liberius autem agit his locis:

V 116 *σῦς ἐριβρύχας*: hym. III 116 *ἐριβρύχους βοῦς*
XV 26 *ἀγγελίαν ταλαπενθέα*: *ε* 222 *θυμὸν ταλαπενθέα*

[1]) At in hym. Hom. VI 5 et 12 *χρυσάμπυκες Ὧραι* exstant.

V 141 *φιτρὸν ὠκύμορον*: *O* 440 *ἰοὶ ὠκύμοροι*
V 25 *ἁλὸς ἀκαμάτας*: *E* 4 *ἀκάματον πῦρ*
X 55 *ὄρος τανίφυλλον*: *ν* 102 *τανύφυλλος ἐλαίη*.

Sine dubio epitheton *ἐριβρύχας* multo peius ad suem quam ad bovem, *τανίφυλλον* non tam ad montem quam ad olivam quadrat.

Quibus ex allatis exemplis plane sequitur, ut Bacchylides permulta epitheta ornantia ex Homero hauserit, plerumque autem non eidem nomini atque Homerus sed alii cuidam tribuerit. Sane hoc notandum est Bacchylidem, quamquam multo plura epitheta ex Homeri carminibus deprompsisset quam Pindarus, tamen paucioribus locis formulas immutatas adhibuisse. In Schultzii dissertatione[1]) invenimus apud Pindarum sexaginta fere ex epithetis Homericis quadraginta a nomine Homerico non disiuncta, viginti disiuncta exstare, cum Bacchylides fere ex septuaginta epithetis triginta non seiuncta adhibuerit, quadraginta autem a nomine Homerico seiunxerit. Variavit igitur Bacchylides formulas Homericas, ut novi aliquid creasse videretur. Epitheta Homerica exquisitiora multo crebrius apud eum occurrunt quam apud Pindarum. Desunt apud hunc, exstant apud illum haec epitheta:
ἀεικέλιος, ἀργάλεος, εὐκτίμενος, εὔκτιτος, εὔπακτος, εὐποίητος, πολλύλιστος, ταλαπενθής, τανίφυλλος.

Quamquam fieri potuit, ut in Pindari deperditis carminibus nonnulla ex his adhibita essent, tamen plura epitheta rariora Bacchylidem ex Homero hausisse quam Pindarum elucet. In universum igitur dicere possumus, Bacchylidem, quamquam saepius epitheta deprompta a nomine Homerico seiunxerit atque aliis nominibus attribuerit, tamen magis quam Pindarum colorem Homericum praebere.

At in contrariam partem attulerit quispiam hunc poetam Homeri imitatorem putandum non esse, quia permagnum numerum epithetorum novaverit. Atque vero omnibus Bacchylidem legentibus tot nova epitheta occurrunt, quot in carminibus Pindari, qui ornamento epithetorum parcius utitur, non exstant. Quae ad recte aestimanda exploremus, qualia sint haec epitheta. Atque paene omnia compositione singulorum vocum simplicium formata esse invenies. Atque primum quidem Bacchylides magnum numerum secundum exemplum Homericum novavit. Quod explanare velim usus formula mathematica proportionis. Ea ratione enim, qua Homerus e vocibus *αἰόλος* et *θώρηξ* unum epitheton *αἰολοθώρηξ* (*Δ* 489) efficit, Bacchylides voces *αἰόλος* et *πρύμνη*, quae iam exstant, ad novum epitheton *αἰολόπρυμνος* conjungit; ut formula mathematica hanc rationem quasi ante oculos collocem:

αἰόλος et *θώρηξ*: *αἰολοθώρηξ* = *αἰόλος* et *πρύμνη*: *X*.

¹) p. 31 sqq.

Hoc modo permulta epitheta a Bacchylide novata sunt[1]). Atque primo loco affero ea, quae Bacchylides novavit usus prima parte alicuius Homerici epitheti compositi:

I 114 *αἰολόπρυμνος*: *Δ* 489 *αἰολοθώρηξ*
X 68 *ἀμετρόδικος*: *B* 212 *ἀμετροεπής*
XIII 4 *βαρύτλατος*: hym. V 3 *βαρύκτυπος*
XV 6 *δολιχαύχην*: *B* 460 *δολιχόδειρος*
II 4 *θρασύχειρος*: *K* 41 *θρασυκάρδιος*
V 33 *κυανοπλόκαμος*: *N* 563 *κυανοχαῖτα*
VIII 49 *λιπαρόζωνος*: *Σ* 382 *λιπαροκρήδεμνος*
V 48 *νεόκροτος*: *O* 469 *νεόστροφος*
X 54 *παλίντροπος*: *Θ* 266 *παλίντονος*
I 184 et VII 10 *πολυζήλωτος*: *ο* 366 *πολυήρατος*
I 121 *πολύκρημνος*: *B* 497 *πολύκνημος*
X 70 *πολύκριθος*: *E* 613 *πολυλήϊος*
XVI 56 *πυριέθειρα*: *ι* 387 *πυριήκης*
IV 4 *ὑψίδειρος*: *M* 132 *ὑψικάρηνος*

¹) Sane quomodo singula epitheta cadant, pendet a secunda parte compositionis, prout alia alius declinationis est. Vide de hac re Kühner-Blass, griech. Gramm. III, 311 sqq.

X 105 φοινικόθριξ
V 102 φοινικόνωτος } : λ 124 φοινικοπάρῃος
V 74 χαλκεόκρανος: Θ 41 χαλκόπους
XVII 59 χαλκεόκτυπος: Τ 25 χαλκότυπος
V 34 χαλκεόστερνος: Ρ 294 χαλκοπάρῃος
XVII 3 χαλκοκώδων[1]): Ε 785 χαλκεόφωνος
V 40 χρυσόπαχυς: Θ 398 χρυσόπτερος.
XVI 90 ὠκύπομπος: ε 176 ὠκύπορος.

Secundo loco affero ea epitheta, quae Bacchylides novavit usus altera Homerici epitheti compositi parte:

VI 5 ἀμπελότροφος: ι 27 κουροτρόφος
III 1 ἀριστόκαρπος: η 115 ἀγλαόκαρπος
X 106 ἀριστοπάτρα: Ε 747 ὀβριμοπάτρη
V 4 γλυκύδωρος: Ζ 251 ἠπιόδωρος
III 6 et V 38 εὐρυδίνας: Φ 212 βαθυδίνης
XII 78 ἠπιόφρων: Υ 467 ἀγανόφρων
XVI 9 ἱμεράμπυξ: Ε 358 χρυσάμπυξ
XII 120 λαοφόνος: Ω 479 ἀνδροφόνος
XVI 119 λεπτόπρυμνος: Δ 248 εὔπρυμνος
fr. 31,2 μεγαλόκολπος: Σ 339 βαθύκολπος
XII 176 πασιφανής: ω 83 τηλεφανής
XII 61 πολύφαντος: Ζ 60 ἄφαντος
X 30 πορτιτρόφος: ι 27 κουροτρόφος

[1]) Hanc vocem Bacchylidem epitheton Homericum χαλκεόφωνος secutum novavisse puto. Hoc enim germanice significat: „mit eherner Stimme“. Quam vim etiam in voce χαλκοκώδων Bacchylidea esse mihi persuasi, non autem significationem: „mit ehernem Schalloch“. Nam est epitheton tubae, cuius sonum gravem atque acutum fuisse schol. ad Il. XVIII 219 testatur. Ubi invenies: τῆς δὲ σάλπιγγος τῆς Ἑλληνικῆς τὸ μὲν μέγεθος ἐπίμηκες, ἡ δὲ φωνὴ παχεῖα καὶ μεγίστη . . . . atque in Athen. X 414 e legimus hominem tubam inflantem ceteris hominibus magnitudine atque viribus praestare, quibus verbis dicitur ad tubae acutum sonum efficiendum hominem corpore validissimum necessarium esse. Cf. . . . Ἡρόδωρόν φησι σαλπιγκτὴν γενέσθαι τὸ μὲν μέγεθος πηχῶν τριῶν καὶ ἡμίσους, εἶναι δὲ καὶ τὰς πλευρὰς ἰσχυρόν. Ex his locis esse concludendum puto vocem χαλκοκώδων significare „ehern tönend i. e. helltönend“.

XII 71 ὑψιάγυια: Β 141 εὐρυάγυια
XII 44 ὑψίνοος: ν 332 ἀγχίνοος
XII 222 φοινικοκράδεμνος: Σ 382 λιπαροκρήδεμνος.

Hos indices si perspicimus, facile intellegimus non pauca epitheta a Bacchylide novata Homericorum instar esse. Nam confer inter se has voces Bacchylideas Homericasque:

γλυκύδωρος: ἠπιόδωρος
δολιχαύχην: δολιχόδειρος
εὐρυδίνας: βαθυδίνας
ἠπιόφρων: ἀγανόφρων
κυανοπλόκαμος: κυανοχαῖτα
λεπτόπρυμνος: εὔπρυμνος
μεγαλόκολπος: βαθύκολπος
φοινικοκράδεμνος: λιπαροκρήδεμνος
χαλκοκώδων: χαλκεόφωνος.

Sine dubio inter singula epitheta nihil interest. Qua ex re concludendum est Bacchylidem, ne ea epitheta, quae iam in Homero exstiterunt atque ea causa omnibus nota fuerunt, adhiberet, studuisse, ut nova atque non audita fingeret. Quod ad faciendum epitheta Homerica dissolvit atque alias aliam partem rursus cum altera voce simplici conjunxit, quae idem significat ac pars verbi seiuncta. Ex. gr. vocem κυανοχαῖτα discidit in duas partes κυανο- et χαῖτα, quorum priorem partem cum voce πλόκαμος idem fere significante ac χαῖτα ad unum epitheton κυανοπλόκαμος conjunxit. Quibus epithetis quamquam sermo delicatus atque elegans fit, tamen luce clarius est Bacchylidem Homeri vestigiis insistentem haec epitheta novavisse. Homerica epitheta audire tibi videris, si nova illa Bacchylidis auribus percipis.

Nunc ad aliud genus epithetorum procedamus. Invenimus enim Bacchylidem non raro aliquam locutionem Homericam in unam vocem ut ita dicam compressisse. Exstiterunt in Homero singulae voces attributive aut alia coordinatione conjunctae, quas hic poeta ad unum epitheton coalescere iussit. Exempla sunt haec:

VIII 100 *χρυσεοσκάπτρου Διός*: *B* 268 . . . *σκήπτρου ὑπὸ χρυσέου* vel *χρυσέῳ σκήπτρῳ.*
XII 169 *βαθύξυλος*: *Λ* 415 *βαθείης ξυλόχοιο*
III 32 *χαλκοτείχης*: *κ* 3 *τεῖχος χάλκεον*
V 37 *ξανθόθριξ*: *ν* 399 *ξανθὰς τρίχας*
II 4 *θρασύχειρος*: *Λ* 553 *θρασειάων ἀπὸ χειρῶν*
XVI 106 *χρυσεόπλοκος*: *P* 52 *πλοχμοί, οἳ χρυσῷ ἐσφήκωντο*
fr. 15,2 *χρύσαιγις*: *Ω* 20 *αἰγίδι χρυσείῃ*
XV 16 *ἀμφικύμων*: *ε* 411 *ἀμφὶ δὲ κῦμα βέβρυχεν.*

Atque praeter has locutiones Homericas etiam alios locos Bacchylidem ad nova epitheta efficienda excitavisse puto. Ex. gr. Minervae deae epitheton XVI 7 *πολέμαιγις* fluxit ex Hom. *E* 736 sqq.:

ἡ (Ἀθήνη) δὲ χιτῶν᾽ ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο
τεύχεσι ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα.
ἀμφὶ δ᾽ ἄρ᾽ ὤμοισιν βάλετ᾽ αἰγίδα θυσανόεσσαν
δεινήν, ἣν πέρι μὲν e. q. s.[1]).

Eiusdem farinae sunt etiam haec exempla:

V 19 *εὐρυάναξ Ζεύς*: *B* 669 . . *ἐκ Διός, ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει*
fr. 31,1 *(Ἑκάτη) δαϊδοφόρος*: hy. V 52 *ἤντετό οἱ Ἑκάτη, σέλας ἐν χείρεσσι ἔχουσα*
XII 104 *σακεσφόρος (Αἴας)*: *Λ* 527 *εὐρὺ γὰρ ἀμφ᾽ ὤμοισιν ἔχει σάκος.*
V 2 *ἱπποδίνητος*: *Σ* 542 *πολλοὶ δ᾽ ἀροτῆρες ἐν αὐτῇ ζεύγεα δινεύοντες*
fr. 4,8 *σιδαρόδετος*: *E* 387 *χαλκέῳ δ᾽ ἐν κεράμῳ δέδετο.*

Ex his satis plane apparet haud pauca epitheta novata, si origines sequeris, nullo ex alio fonte nisi ex Homeri carminibus fluxisse, a Bacchylide autem tantum singulas partes ex Homero depromptas conglutinatas esse.

[1]) At silentio praetermittere nolo pro *π[ο]λεμαίγιδος* a multis viris doctis, ex. gr. Wackernagelio, Hausmanno Headlamio scriptum esse *π[ε]λεμαίγιδος* derivandum a *πελεμίζω*.

Adhuc disserui de eis epithetis, quorum pars prior fuit substantivum vel adjectivum vel adverbium. Nunc verba facienda sunt de iis, quorum pars prior est verbum. Talia enim non paucis locis Bacchylideis inveniuntur. Quae ad formanda aut praesens aut aoristus adhibetur, ex. gr. in voce *ἀλεξάνεμος* praesens, in voce autem *ὠλεσίκαρπος* aoristus invenitur[1]). Apud Homerum talia composita minus fequentia sunt, exempli gratia affero: *ἀλεξάνεμος* (*ξ* 529), *ταλαπενθής* (*ε* 222), *φαεσίμβροτος* (*κ* 138), *ἠλιτόμηνος* (*T* 118), *πλησίστιος* (*λ* 7) alia. Fuerunt autem pauca quae attuli Bacchylidi multa novanti exempla. Nam secundum vocem Homericam *φαεσίμβροτος* Bacchylides novum epitheton *θελξίμβροτος* effecit. Atque videre possumus lyricum poetam non solum rationem componendi ex Homero deprompsisse, sed etiam certis locis Homericis ad voces formandas commotum esse. Nam sine dubio haec epitheta Bacchylidea certos locos Homericos in memoriam revocant:

XV 19 *ὀρσίαλος Ποσειδάν*: *ε* 366 *ὦρσε δ᾽ ἐπὶ μέγα κῦμα Ποσειδάων . . .*
XIV 3 *ὀρσίμαχος Ἀθήνη*: *Δ* 439 *ὦρσε δὲ τοὺς μὲν Ἄρης, τοὺς δὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη*
et I 353 *οὐκ ἐθέλεσκε μάχην . . . ὀρνύμεν . . .*
XIV 48 *θελξιεπής*: *γ* 264 *πολλ᾽ Ἀγαμεμνονέην ἄλοχον θέλγεσκ᾽ ἐπέεσι*
et *σ* 282 *θέλγε δὲ θυμὸν μειλιχίοις ἐπέεσσιν*
XII 230 *τερψιεπής ἀοιδαί*: *θ* 90 sq. *αὐτὰρ ὅτ᾽ ἂψ ἄρχοιτο καὶ ὀτρύνειαν ἀείδειν . . . ἐπεὶ τέρποντ᾽ ἐπέεσσι*
XII 50 *δαμασίμβροτος χαλκός*: *Π* 561 *δαμασαίμεθα νηλέϊ χαλκῷ*
XVI 118 *φρενοάρας*: *δ* 777 *ὃ — πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶν ἤραρεν ἡμῖν.*
VIII 6 *μηλοδαΐκτας*: *Λ* 497 *δαΐζων ἵππους τε καὶ ἀνέρας*

[1]) De hac re v. Kühner-Blass, griech. Gramm. II 1, 333 sq.

V 105 *ἀναιδομάχας*: *E* 593 *ἔχουσα κυδοιμὸν ἀναίδεα δηιοτῆτος*

XVI 97 *ἐναλιναιέτας*: *O* 190 . . . *ἔλαχον πολιὴν ἅλα ναιέμεν.*

Secundum haec epitheta poeta alia effecit velut *ἀκαμαντορόας*, *μηλοθύτας*, *πορφυροδίνας*.

Quae exempla allata etiam testes sunt Homerum quasi materiam praebuisse, quam Bacchylides non sine arte inter se misceret atque conjungeret. Adhuc igitur semper exempla Homerica invenire potuimus, quae Bacchylides in vocibus novandis secutus sit.

Nunc quaerimus, num Bacchylides etiam epitheta effecerit, quae ab exemplo Homerico recedant. Atque primum quidem voco epithetorum genus, quae cum superlativo composita sunt. Cuius generis exempla sequantur: *ἀρισταλκής* (VII,7), *ἀρίσταρχος* (XII,58), *ἀριστόκαρπος* (III,1), *ἀριστοπάτρα* (X,106), *μεγιστοάνασσα* (XVIII,21), *μεγιστοπάτωρ* (V,199), *πλείσταρχος* (III 12). Sed haec epitheta exemplo Homerico non plane carent; nam Hom. *Σ* 54 Thetidem deam invenies querentem his verbis: *ὤ μοι ἐγὼ δειλή, ὤ μοι δυσαριστοτόκεια*, quae vox sine dubio cum superlativo composita est. Atque porro Jovis epitheton *μεγιστοπάτωρ* locutionem Homericam: *Ζεῦ κύδιστε μέγιστε* et *Ζεῦ πάτερ* in memoriam revocat, ex quibus locutionibus inter se conjunctis haud scio an vox *μεγιστοπάτωρ* fluxerit. Tamen etiam in Bacchylide facultatem epitheta ex se ipso gignendi fuisse hoc uno exemplo demonstrare velim. Nam VII 48 Jovi epitheton *κεραυνεγχής* is qui fulmine armatus est appositum est. Qua re commotus Bacchylides tale epitheton formavit? Putares vocem *ἔγχος* hastae quae iactatur instar esse atque, cum Juppiter fulmina iaculetur, poetam hoc epitheton composuisse. Sed ego quidem dicere velim, ad hoc compositum Bacchylidem operibus depictis atque sculptis excitatum esse. Nam ab antiquis artificibus fulmen ut hasta depictum

est[1]). Quibus operibus poeta ad hoc epitheton formandum commotus esse potest. Utcumque res se habet, huic voci Homerus exemplo non fuit. Porro propono nonnullas voces, quae ab exemplo Homerico liberae sunt: *ἀρέταιχμος* (XVI47), *ἀστύθεμις* (IV,3), *βροτωφελής* (XII,191), *ἐρειψιπύλας* (V,56), *κυανανθής* (XII,124), *πάννυχος* (X,21), *πρώθηβος* (XVII,57).

Atque omnibus epithetis Bacchylideis perlustratis videmus ubique fere etiam ex epithetis a poeta novatis Homericam originem perlucere, pauca tantum ex poetae ingenio creata esse. Dubium autem non est, quin Bacchylides, etiamsi poeta ingeniosissimus non sit habendus, tamen instar fuerit artificis habilissimi, qui non formas plane novas procreat, sed e materia praebita imagines pulcherrimas effingere potest. Atque eo modo Bacchylides singulas voces, quae iam in Homero exstiterunt, ad unum epitheton coalescere iussit. Qua voluit et potuit ratione ex Homericis verbis nova effecit. Noluit sane epitheta longo usu omnium poetarum detrita iterum atque iterum proferre, studuit vel veteribus nova iunctura speciem novitatis addere vel ad Homeri exemplum adhuc non audita fingere. Poetam varietatem elocutionis appetivisse ex hac quoque re cognosci potest, quod pleraque epitheta non plus semel adhibet. Ex centum epithetis, quae ex omnibus carminibus Bacchylideis fortuito delegi, occurrunt semel septuaginta tres, bis septemdecim, ter vel saepius tantum decem. Atque ut cognoscamus Pindarum eandem rationem non secutum esse, inspexi centum epitheta Pindarica, quae in lexico Pindarico ab Joanne Rumpelio edito sub litera *A* exstant. E quibus cognoscimus Pindarum usum esse semel quadraginta sex, bis viginta uno, ter vel saepius triginta tribus. Hac igitur observatione confirmatur Bacchylidem studuisse, ut semper nova epitheta adhiberet neve iam adhibitis iterum uteretur.

Quaestione, quomodo et qua de causa hic poeta tot,

[1]) Vide Paul Jakobsthal, der Blitz in der orientalischen u. griechischen Kunst (Berlin 1906) tab. II 57.

nova epitheta effecerit ad finem perducta nunc ea digna esse videtur, quae breviter tangatur, num Bacchylides hanc copiam epithetorum etiam omnibus locis eleganter venusteque adhibere potuerit. Atque negari non potest epithetis Bacchylideis saepissime ea, quae deorum aut personarum propria sunt, aptissime significari. Nam Juppiter, deorum hominumque pater, non melius describi posset quam epithetis *μεγιστοπάτωρ* vel *εὐρυάναξ*. Atque Ares armatus, furiosus elegantissime vocatur *χαλκεόστερνος* aut *καρτερόθυμος*. Tum Neptuno deo, qui est rex maris et terram tridenti suo concutit, idonea epitheta *ἀναξίαλος, ὀρσίαλος, σεισίχθων, δαμασίχθων* attribuuntur. Denique sine dubio Theseus, qui omnibus armis caret, aptissime et delicatissime nominatur *ἀρέταιχμος*. Atque hoc maxime dignum est, quod commemorem Bacchylidem ad feminarum pulchritudinem depingendam praeter epitheta Homerica, quibus usus esset, permulta nova effecisse. Inspice enim voces: *κυανοπλόκαμος, καλυκοστέφανος, ἱμεράμπυξ, ἱμερόγυιος, λιπαρόζωνος, φοινικοκράδεμνος, χλωραύχην, χρυσεόπλοκος, χρυσόπαχυς, ὑψαυχής*, qua in re Pindarum a Bacchylide toto caelo distare postea demonstrabo. His atque supra allatis exemplis commoti sermonis Bacchylidei elegantiam laudamus. Sed inveniuntur etiam loci, quibus epitheta nominibus non apte attribuit. Ex. gr. Proetei filiae, quae insania amentiaque turbatae per montes fugiunt, vocantur *καλυκοστέφανοι* (X 108), quod epitheton etiam Dianae deae apposuit (V 98). Deinde non bene quadrat epitheton *δαΐφρων* ad Althaeam, quae lignum fatale comburens filio suo mortem affert (V 137). Eiusdem farinae sunt etiam haec exempla:

VIII 29 *εὐφεγγής σελάνα*
X 117 *χρυσέα δέσποινα*
V 26 *δυσπαίπαλα κύματα.*

Nam sine dubio *δυσπαίπαλος* multo peius ad undas quam ad montes quadrat, quibuscum apud Archilochum (fr. 107 Crusius) coniungitur. Cf.:

καὶ βήσσας ὀρέων δυσπαιπάλους, . . .

Porro offendo in iis locis, qui epithetis ut ita dicam abundant; cuius rei exemplum luculentissimum exstat in carm. X 37 sqq.:

νῦν δ' Ἄρτεμις ἀγροτέρα
χρυσαλάκατος λιπαρὰν
ἡμέρα τοξόκλυτος νίκαν ἔδωκε.

Sine dubio eum, qui talem locum legit, satietas atque taedium capit. Alium autem locum affero e carm. V 96 sqq.:

καὶ γὰρ ἂν πλάξιππος Οἰνεὺς
παῦσεν καλυκοστεφάνου
σεμνᾶς χόλον Ἀρτέμιδος λευκωλένου.

Atque si poeta epitheta hoc modo accumulat, non mirum est, ut epitheta non rare sensu vacent. Quod in Bacchylide praecipue talibus vocibus accidit quales sunt *κλεινός, κλυτός, λιπαρός, ξανθός, σεμνός*. Inepte enim *αἰθὴρ* in carm. XVI 72 vocatur *κλυτός*; atque porro animo non hilari ferimus locos huius modi:

V 92 *Παλλάδι ξανθᾷ*
V 169 *τάν κεν λιπαρὰν ἐθέλων θεῖμαν ἄκοιτιν*
X 79 sqq. . . . *ἵν' ἀντίθεοι*
ναῖον κλυτὸν ἱππόβοτον
Ἄργος ἥρωες περικλειτοὶ λιπόντες.

XVI 109 sqq.:
εἶδέν τε πατρὸς ἄλοχον φίλαν
σεμνὰν βοῶπιν ἐρατοῖ-
σιν Ἀμφιτρίταν δόμοις.

E locis allatis cognoscimus Bacchylidem, quamquam pulcherrima epitheta effecit atque etiam plerumque eleganter et delicate adhibuit, tamen quibusdam locis quasi in modum operarii inepta ratione usum esse. Qua de causa is non falso iudicabit, qui de Bacchylideo epithetorum usu idem censet, quod Aristoteles de Alcidamante dixit[1]): *οὐ γὰρ ἡδύσματι χρῆται ἀλλ' ὡς ἐδέσματι τοῖς ἐπιθέτοις.*

[1]) Rhet. III 3 1406 a 18.

Ad extremum operae pretium esse videtur breviter usum epithetorum Bacchylideum cum Pindarico comparare. Atque constat Pindarum multo rarius epitheta ornantia adhibere[1]). Quod mirum non est. Nam in ipsa natura ingenioque Pindari positum est, quod poeta Thebanus ad res ornandas non tot epithetis usus est quot Bacchylides. Nam semper densus sententiis velut torrens de monte praecipiti currens ab alia re ad aliam festinat. Ea de causa in singulis rebus ornandis atque late describendis non moratur. Atque in primis moneo Pindarum, ut feminarum pulchritudinem depingeret, paene nulla epitheta novavisse; atque ne epica quidem epitheta a poeta Thebano recepta esse observare possumus. Quod ad probandum inspiciamus ea epitheta Musis atque Gratiis a Pindaro attributa, quae Schultz in p. 41 sq. affert. In hoc indice invenies haec epitheta pulchritudinem corporis depingentia: *ἀργύρεαι, βαθύζωνοι, βαθύκολπος, εὔφωνος, ἠύκομος, ἰοπλόκαμος, μελίφθογγοι, ξανθός, σεμνός, χρυσάμπυξ, χρυσέα.* Quo cum indice confer nunc epitheta Bacchylidea in p. 32, videbis poetam Thebanum paene nulla epitheta, quibus singulae corporis partes dilucidissime ante oculos collocarentur, adhibuisse neque effecisse id, quod poeta Ceus, ut erat Jonicus homo elegans atque delicatus, tam mirum in modum fecit. Atque quaerentibus qua de causa Pindarus feminas epithetis variis et pulcherrimis non exornaverit, spectandum est ad studia atque consilia poetae. Dubium enim non est, quin Pindari carmina composita sint, ut nobiles praedicentur et in maximam lucem proferatur illa virtus, quae cuique iuveni ex nobilium genere appetenda fuerit[2]). Itaque Pindarus, cum semper virum Doricum praedicare in animo haberet, descriptionem mulierum pulchritudinis quasi in umbram pressit, cum Bacchylides qua potuit ratione feminas exornaret atque depingeret. Tamen putandum non est Pindarum in universum venuste atque eleganter describere non potuisse; immo in contrariam partem dicere velim. Nam etiam poeta Thebanus singulas res quadam cum elegantia depingere potuit et ad hoc maxime idoneis epithetis usus est; inspice locum carminis *O* VI 39 sqq., quo poeta feminam parturientem pulcherrimis verbis ante oculos ponit:

ἁ δὲ φοινικόκροκον ζώ-
ναν καταθηκαμένα
κάλπιδά τ' ἀργυρέαν λόχ-
μας ὑπὸ κυανέας
τίκτε θεόφρονα κοῦρον.

[1]) V. de usu epithetorum apud Pindarum ea, quae G. Fraccaroli in Rivista di Filologia XXVI 70 sqq. disseruit.

[2]) Cf. etiam de hac re Wilamowitzium Aesch. Orest. II 30.

Quo loco poeta etiam aptissimum cuique nomini epitheton attribuit ita ut imaginem pulcherrimam efficeret. Hoc autem dicendum est Pindarum paene semper moderate et temperanter epitheta ornantia adhibuisse, qua de causa etiam rarissime in Pindari carminibus invenies tales locos qualis est *O* VI 63:

ἵκοντο δ' ὑψηλοῖο πέ-
τραν ἀλίβατον κρονίου·

Nam Cronius collis ineptissime vocatur *πέτρα ἀλίβατος.*

b. De Comparationibus et Imaginibus.

Quaestione de epithetis ad finem perducta aggredimur nunc eam, num Bacchylides etiam in comparationibus adhibendis Homerum secutus sit. Homerus comparationibus ita utitur, ut in eis expingendis rem ipsam, quae comparatione illustratur, nullo verbo tangat. Exemplum afferam. Il. XI 112 sqq. Agamemno, cui nemo resistere potest, cum leone, qui pullos cervinos interficit, comparatur. Non solum leo viridis coloribus depingitur, cervae quoque, quae quamquam prope abest, tamen vitulos servare nequit, pavor et dolor copiose describuntur. Ad Agamemnonis furorem

illustrandum cerva nihil fere valet, at poeta scaenae illi animalium totum se dedit. Ita fit, ut comparationes Homericae haud raro multo magis dilatentur quam res ipsa postulare videtur. Sane tali comparatione novae sententiae non proferuntur, sed una eadem multis verbis tractatur et dilatatur. Qua de causa usus comparationum poesis epicae est proprius, quae per se omnia dilatat. Nunc exquiramus, quomodo Bacchylides comparationibus usus sit. Atque primos locos obtinent illae imagines in carm. V et XII, de quibus uberius agere velim. In carm. V enim poeta, postquam consilium Hieronis laudandi declaravit, sic pergit v. 16:

βαθὺν
δ' αἰθέρα ξουθαῖσι τάμνων
ὑψοῦ πτερύγεσσι ταχεί-
αις αἰετὸς εὐρυάνακτος ἄγγελος
Ζηνὸς ἐρισφαράγου
θαρσεῖ κρατερᾷ πίσυνος
ἰσχύϊ, πτάσσοντι δ' ὄρνι-
χες λιγύφθογγοι φόβῳ·
οὔ νιν κορυφαὶ μεγάλας ἴσχουσι γαίας,
οὐδ' ἁλὸς ἀκαμάτας
δυσπαίπαλα κύματα· νωμᾶ-
ται δ' ἐν ἀτρύτῳ χάει
λεπτότριχα σὺν ζεφύρου πνοι-
αῖσιν ἔθειραν ἀρίγνω-
τος μετ' ἀνθρώποις ἰδεῖν·
τὼς νῦν καὶ ἐμοὶ . . . e. q. s.

Qui hos versus canoros legit negare vix potest imaginem magificentissimam esse, summo poeta dignam. In modum Homeri Bacchylides singulas res aperte depinxit, qua descriptione aquila regia cum dignitate per immensum aeris spatium volans luculentissime ante oculos versatur. Altera autem imago, quae tractanda est, exstat in carm. XII. Trojani enim, postquam Achilles e pugna se recepit, magno gaudio affecti in campum apertum se effuderunt. Comparantur autem cum nautis, qui postquam venti adversi desierunt, magna laetitia elati in terram navigant: Cf. v. 124 sqq.:

ὥστ' ἐν κυανανθέϊ θ[ύων ναυβάτας]
πόντῳ Βορέας ὑπὸ κύ-
μασιν δαΐζει,
νυκτὸς ἀντάσας ἀνατε[λλομένας]
λῆξεν δὲ σὺν φαυσιμ [βρότῳ
Ἀοῖ, στόρεσεν δέ τε πόντον·
οὐρίᾳ νότου δὲ κόλπ[ωσαν πνοᾷ]
ἱστίον ἁρπαλέως τ' ἄ-
ελπτον ἐξίκοντο χέρσον
ὣς Τρῶες, ἐπ [εὶ . . . e. q. s.

Haec quoque imago aptissima est, optime describitur, nautae quanto in metu tempestatibus frementibus versentur et quam laeti post tempestates sint. Nunc quaerimus, qua ratione hae imagines cum stilo Homerico conjunctae sint.

Atque primo loco formam imaginum spectemus. Vidimus Bacchylidem singulis rebus imaginis depictis pergere voce ὣς . . . . Eo modo autem semper comparationes Homericae formatae sunt. Nam ex. gr. lege leonis imaginem in p. 35 allatam, ubi leonis comparatione pulchra narrata invenies:

ὣς ἄρα τοῖς οὔτις δύνατο . . . .

Deinde, ut iam dixi, singulae res, quomodo alia aliam sequitur, expressis pulchrisque verbis narrantur et depinguntur, quod Homeri ipsius proprium atque singulare est. Atque ex hoc, quod hic poeta omnia dilatat atque pulcherrime exornat, sequitur, ut aquilae et non minus navis tempestatibus conflictatae imagines magnam carminis partem expleant. Atque quod summi momenti est, in hac re ipsa Bacchylides cum Homero consentit imaginem non esse immiscendam sententiis ad rem comparandam pertinentibus. Neque enim in carmine quinto, quo Hiero praedicatur, a v. 16 usque ad v. 30 Hiero ullo verbo tangitur, neque in toto epodo quarto carminis XII Trojani commemorantur. Comparationes igitur Bacchylides plane solvit e narrationis contextu. Aliter Pindarus,

quem semper sententiis densum esse constat. Qua de causa mirum non est, quod in Pindari carminibus imagines dilatatas non inveniamus. Tamen poeta Thebanus imaginibus ut ita dicam abundat. Atque ut usum Pindaricum cognoscamus inspiciamus hoc exemplum: Carmine *O* VI Pindarus Hagesiam celebrat, cuius muli primi stadium percurrerant. Ab v. 22 sqq. poeta familiae originem Hagesiae intexere in animo habet, ut singulas stirpes cognoscamus. Ad hoc autem faciendum imagine mulorum currus utitur, tamen non in modum Homeri, sed aliam rationem secutus.

Audiamus enim v. 22 sqq.[1]):

Ὦ Φίντις, ἀλλὰ ζεῦξον ἤ-
δη μοι σθένος ἡμιόνων,
ᾇ τάχος, ὄφρα κελεύθῳ τ' ἐν καθαρᾷ
βάσομεν ὄκχον, ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν
καὶ γένος· κεῖναι γὰρ ἐξ ἀλ-
λᾶν ὁδὸν ἁγεμονεῦσαι
ταύταν ἐπίστανται, στεφά-
νους ἐν Ὀλυμπίᾳ
ἐπεὶ δέξαντο· χρὴ τοίνυν πύλας ὕ-
μνων ἀναπιτνάμεν αὐταῖς·

Quae nunc attente perspicienda sunt. Atque primum quidem videmus a Pindaro imaginem et rem, quam poeta imagine explicare vult, inter se commisceri. Initium enim capit ab imagine mulorum currus. In hanc statim inseruit id quod ad rem id est familiae originem celebrandam spectat. Voces enim *ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν καὶ γένος* minime ad imaginem, sed ad rem pertinent. Quod sequitur, nobis rursum imaginem ante oculos collocat. Tamen verbis *στεφάνους ἐν Ὀλυμπίᾳ ἐπεὶ δέξαντο* animus in totius carminis argumentum advertitur. Atque enuntiatum *χρὴ τοίνυν πύλας ὕμνων ἀναπιτνάμεν αὐταῖς* rursus ad imaginem spectat, tamen voce *ὕμνων* inserta, quae ad rem pertinet, mulorum imago

---

[1]) Utor editione Schroederi, Lipsiae 1908.

plane turbatur. Videmus igitur hic apud Pindarum imaginem atque rem semper inter se conjunctas atque commixtas esse. Atque hac re poeta Thebanus ab Homero et etiam a Bacchylide toto caelo distat. Sed si quaerimus quomodo Pindarus imaginem protulisset, si Homeri rationem secutus esset, haud scio an sic formavisset:

Quomodo aliquis suos mulos bene nutritos, qui iam plus quam semel stadium percurrerunt, ad currum jungit, ut ab omnibus praedicati effuso cursu stadium percurrant atque clarissimam victoriam reportent, eo modo ego me parabo ad victoris familiam ab origine ad hoc tempus celebrandam. Sine dubio simili modo Bacchylides hanc imaginem depinxisset.

Porro autem observare possumus Pindarum non raro variarum imaginum partes inter se conjunxisse. Quod hoc exemplo illustretur: *N* I 18 legimus: *πολλῶν ἐπέβαν καιρὸν οὐ ψεύδει βαλών.* Cuius sententiae parte priore imago viri viam ineuntis ante oculos ponitur, parte autem altera viri iaculum mittentis. Atque eo quod Pindarus saepe duas imagines, quarum altera alteram quasi excludere videtur, inter se conjungit, carmina ad intellegendum permultis locis difficillima sunt. Quae ratio conjungendi orationis partes ut ita dicam a se abhorrentes ad unam elocutionem Pindari proprium est.

Mihi videor demonstrasse Bacchylidem in comparationibus Homeri rationem secutum esse, cum longe a Pindaro recederet, qui comparationes late exornatas omnino non adhibuit.

Nunc disserendum est de elocutionibus, quibus Bachylides ambas imagines pulcherrimas depinxit. Atque nonnullis locis paene Homerum audire nobis videmur. Non magni facio V 19 sq. *αἰετὸς εὐρυάνακτος ἄγγελος Ζηνός*, quae voces spectare possunt ad Hom. *β* 146 sq.: . . . *τῷ δ' αἰετὼ εὐρυόπα Ζεὺς / ὑψόθεν ἐκ κορυφῆς ὄρεος προέηκε πέτεσθαι*, quia etiam

in Pindari carminibus similes locos invenimus[1]). Graviora sunt haec exempla:

V 21 *θαρσεῖ κρατερᾷ πίσυνος ἰσχύϊ:*
Λ 9 *ἠνορέῃ πίσυνοι καὶ κάρτεϊ χειρῶν.*
V 28 *σὺν ζεφύρου πνοιαῖσιν:*
Τ 415 *ἅμα πνοιῇ ζεφύροιο*
V 30 *ἀρίγνωτος μετ' ἀνθρώποις ἰδεῖν:*
ρ 265 *ῥεῖα δ' ἀρίγνωτ' ἐστὶ καὶ ἐν πολλοῖσιν ἰδέσθαι*
XII 129 *στόρεσεν δέ τε πόντον:*
γ 158 *ἐστόρεσεν δὲ θεὸς μεγακήτεα πόντον.*
XII 132 *ἐξίκοντο χέρσον:*
ι 486 *θέμωσε δὲ χέρσον ἱκέσθαι*[2]).

Quibus ex exemplis satis plane apparet Bacchylidem etiam ad hanc comparationem exornandam ex Homeri carminibus multos flosculos carpsisse. Denique disserendum est de quaestione, num omnibus in carminibus Bacchylides Homericas locutiones adhibuerit.

c) De Elocutionibus.

Is qui Bacchylidis carmina legit, statim cognoscit Cei sermonem multo facilius intellegi quam Pindari. Quod po-

[1]) P. I 6; I VI 49 sq.

[2]) Non autem assentior Tommasinio, qui in studi di filol. VII 433 censet verba (V 16 sq.): *βαθὺν δ' αἰθέρα ξουθαῖσι τάμνων ὑψοῦ πτερύγεσσι ταχείαις* pendere ab Hom. hym. 33,12: *οἳ δ' ἐξαπίνης ἐφάνησαν / ξουθῇσι πτερύγεσσι δι' αἰθέρος ἀΐξαντες.* Hoc enim pertinet ad Dioscuros, qui sine dubio veteribus temporibus alis caruerunt. Nam hoc hymno excepto neque in literis neque in operibus sculptis et pictis antiquiorum temporum alis ornati exstant. Demum in speculis Etruscis Dioscuros alis ornatos invenimus (v. Gerhard, Etrusk. Spiegel tab. LII-LIV et Archäol. Ztg. 1865, 124), quae posterioribus temporibus effecta sunt. Itaque cum Dioscuri temporibus Bacchylidis alis non ornati sint, hymnum Homerum quoque recentiorem esse puto, ita ut Bacchylides ab eo pendere non potuerit. Cf. Gemoll, Die homerischen Hymnen p. 360.

situm est in poetae nativa quadam simplicitate atque perspicuitate. Sed haud scio an Cei poetae carmina etiam propterea facile percipiamus, quod legentibus elocutiones Homericae, quae nobis a pueritia notae sint, saepe in mentem veniunt. Atque Bacchylidem ad epitheta efficienda saepissime Homeri elocutionibus usum esse supra demonstravimus. Qua de causa per se verisimile est etiam in reliqua elocutione non raro Homericos flosculos inveniri. Et re vera Bacchylides eodem modo quo epitheta alias quoque conformationes Homericas adhibuit. Nam Homeri elocutiones aut immutatae aut consilio mutatae apud eum nobis occurrent.

Atque primo loco eae formulae afferendae sunt, quas Bacchylides integras suis carminibus inseruit, et nihil interest utrum aliqua formula eadem coordinatione qua ab Homero etiam a Ceo poeta adhibita an leviter variata sit. Inveni autem haec:

II 3 *φέρουσ' ἀγγελίαν: Ο* 174 *ἀγγελίην φέρουσα*
III 34 *ἄλαστον δυρομέναις: ξ* 174 *ἄλαστον ὀδύρομαι*
III 36 *χέρας δ' ἐς αἰθέρα ἀείρας:*
λ 423 *ἐγὼ ποτὶ γαίῃ χεῖρας ἀείρων*
III 79 *αὔριον ὄψεαι μοῦνον ἁλίου φάος:*
δ 833 *καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο*
V 46 *ῥιπᾷ Βορέα: Τ* 358 *ὑπὸ ῥιπῆς Βορέαο*
V 81 *προΐει ὀϊστόν: Θ* 297 *προέηκα ὀιστούς*
V 84 *οὔ τοι δέος: Α* 515 *οὔ τοι ἔπι δέος*
V 139 *ἐμοὶ βούλευσεν ὄλεθρον:*
Ξ 464 *τῷ θεοὶ βούλευσαν ὄλεθρον*
V 169 *τὰν . . . θεῖμαν ἄκοιτιν:*
φ 316 *καὶ ἑὴν θήσεσθαι ἄκοιτιν*
V 183 *ποσσὶ νικήσας: Υ* 410 *πόδεσσι ἐνίκα*
IX 39 *τιμᾶν λελογχώς: λ* 304 *τιμὴν λελόγχασιν*
IX 41 *ἤ τινα θευπροπίαν εἰδώς:*
Ζ 438 *ἤ . . . θεοπροπίαν εὖ εἰδώς*
IX 43 *ποικίλον τόξον τιταίνει: Θ* 266 *τόξα τιταίνων*

X 34 *ἀλλ' ὁ θεὸς αἴτιος:* *Γ* 164 *θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν.*
X 91 *ἀλλά νιν . . . καὶ βίᾳ χειρῶν κάτεχον:*
Ο 186 *εἴ μ' ὁμότιμον ἐόντα βίῃ ἀέκοντα καθέξει.*
XII 46 *λέοντι . . . ἐφίησι χεῖρα:*
υ 29 *μνηστῆρσιν χεῖρας ἐφήσει*
XII 143 *ἐς πεδίον ἄϊξαν:* *ο* 183 *ἤϊξαν πεδίονδε*
XII 145 *ὦρσάν τε φόβον:* *Ν* 362 *φόβον ὦρσεν*
XIV 40 *κάρυκες ὀρνύμενοι:* *θ* 256 *ὦρτο δὲ κῆρυξ*
XV 8 *φρένα τερπόμενος:* *Ι* 186 *φρένα τερπόμενον*
XV 24 *ὕφανε μῆτιν:* *Η* 324 *ὑφαίνειν μῆτιν*
XVI 1 *ναῦς τάμνε πέλαγος:* *γ* 174 *πέλαγος τάμνειν*
XVI 25 *Δίκας τάλαντον:* hym. III 324 *δίκης τάλαντα*
XVI 72 *χέρας πέτασσε:* *Ξ* 495 *χεῖρε πετάσσας*
XVII 40 *ἀνδρῶν σθένος ἔσχεν:*
Φ 308 *σθένος ἀνέρος σχῶμεν.*

Ex his flosculis satis apparet Homerum huic poetae quasi fontem fuisse, ex quo suas locutiones hausit. Attamen quispiam dicat minime ex his sequi, ut Bacchylides ab Homero artius quam alii pendeat quia apud omnes poetas etiam apud Pindarum satis multi flosculi Homerici inveniri possint. Neque negare velim Pindarum quoque Homericas locutiones adhibuisse. Carmina Homerica omnibus Graecis a prima pueritia ita in carnem et sanguinem abibant, ut nemo poeta non vel invitus flosculos Homericos interdum proferret. Maxime autem interest, utrum poeta hic atque illic aliquam elocutionem e Homero deprompserit an quasi in modum servi paene semper Homericas elocutiones adhibeat partim consilio leviter variatas. Atque duplici ratione Bacchylides eas in usum suum vertit. Aut pro nomine aut pro verbo ab Homero adhibito aliud quoddam synonymon posuit. Ex. gr. hic poeta ex Homero formulas *λῦσε δὲ γυῖα* vel *λύθη ψυχή τε μένος τε* deprompsit atque cum pro voce *ψυχή* vocem *αἰών* ponit, novam formulam *αἰῶν' ἔλυσεν* efficit. Atque videbimus Bacchylidem qua posset ratione locutiones Homericas mutavisse. Atque primo loco eae, in quibus pro nomine aliquod synonymon positum est, sequantur:

I 162 *ἐθέλει δ' αὔξειν φρένας ἀνδρός:*
Ζ 261 *ἀνδρὶ μένος ἀέξει*
II 5 *ἄρατο νίκαν:* *Σ* 165 *ἤρατο κῦδος*
V 113 *ἐπεὶ δὲ δαίμων κάρτος ὄρεξεν:*
δ 275 *δαίμων, ὃς κῦδος ὀρέξαι*
V 151 *μίνυνθα δέ μοι ψυχά:*
Α 416 *ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθα*
VIII 12 *ἄθλησαν ἐπ' Ἀρχεμόρῳ:*
Ψ 274 *ἐπὶ ἄλλῳ ἀεθλεύοιμεν*
VIII 38 *σώματα πρὸς γαίᾳ πελάσσας:*
Π 418 *πάντας πέλασε χθονί*
IX 11 *ἄγαλμα ἀνθρώποισιν χάρμα:*
Ξ 325 *ἡ τέκε χάρμα βροτοῖσιν*
X 54 *στήθεσσι ἔμβαλεν νόημα:*
hym. IV 73 *τοῖς ἐν στήθεσσι βάλ' ἵμερον*
X 76 *Ζεὺς παῦσαι στυγερῶν ἀχέων:*
δ 35 *αἴκε Ζεὺς παύσῃ ὀϊζύος*
X 87 *φάσγανον ἐν στέρνοισι πᾶξαι:*
Ν 442 *δόρυ δ' ἐν κραδίῃ ἐπεπήγειν*
XII 63 *θανάτοιο κυάνεον νέφος καλύψῃ:*
Υ 417 *νεφέλη δὲ ἀμφεκάλυψεν*
XII 180 *στρωφᾶται κατὰ γᾶν:*
hym. V 47 *κατὰ χθόνα στρωφᾶται.*
XII 220 *ἐλπίδι θυμὸν ἰαίνει:*
ζ 156 *θυμὸς εὐφροσύνῃσιν ἰαίνεται*
XIV 46 *παύσασθαι δυᾶν:* *Η* 376 *παύσασθαι πολέμοιο*
XIV 47 *τίς λόγων ἆρχεν:* *Κ* 203 *μύθων ἦρχε*
XVI 18 *καρδίαν ἄμυξεν ἄλγος:*
Α 243 *σὺ θυμὸν ἀμύξεις χωόμενος*
XVI 23 *ἴσχε μεγάλαυχον ἥρως βίαν:*
Ι 255 *σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμὸν ἴσχειν.*
XVI 24 *ὅτι μοῖρα κατένευσε:*
Θ 175 *μοι κατένευσε Κρονίων*

XVI 94 *κατὰ λειρίων τ' ὀμμάτων δάκρυ χέον:*
Ψ 385 *τοῖο δ' ἀπ' ὀφθαλμῶν χύτο δάκρυα*
fr. 20,8 *χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι:*
Ν 22 *οἱ κλυτὰ δώματα χρύσεα μαρμαίροντα.*

Iam afferendae sunt eae elocutiones, in quibus Bacchylides pro Homerico verbo aliud synonymon posuit. Inveni haec:

I 178 *ὅντινα δονέουσι μέριμναι:*
hym. III 44 *ὅντε ἐπιστρωφῶσι μέριμναι*
V 132 *ἐκ χειρῶν βέλη φοιτᾷ:*
Μ 159 *ἐκ χειρῶν βέλεα ῥέον.*
V 153 *δάκρυσα ἥβαν προλείπων:*
Π 857 *γοόωσα, λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην*
X 56 *σμερδαλέαν φωνὰν ἱεῖσαι:*
Θ 92 *σμερδαλέον δ' ἐβόησεν*
X 85 *τὸν δ' εἷλεν ἄχος κραδίαν:*
Ο 208 *τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην ἱκάνει*
X 104 *θύσω δέ τοι βοῦς: γ* 382 *σοὶ ῥέξω βοῦν.*
XII 135 *μίμνοντ' ἐν κλισίῃσι: Ω* 413 *κεῖται ἐν κλισίῃσιν*
XII 143 *κρατερὰν ὑσμίναν φέροντες:*
Ξ 448 *σύναγον κρατερὴν ὑσμίνην*
XII 149 *ἴξόν τ' ἐπὶ θῖνα θαλάσσας:*
β 260 *ἰὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης.*

Atque porro locutiones inveniuntur, in quibus poeta simul et pro nomine et pro verbo aliam idem significantem vocem adhibuit. Afferam haec:

X 100 *χεῖρας ἀντείνων πρὸς αὐγὰς ἀελίου:*
Ο 371 *χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα*
X 97 *χρόα νιψάμενος κίκλησκε θύγατρα βοῶπιν:*
β 261 *χεῖρας νιψάμενος εὔχετ' Ἀθήνῃ*
XII 150 *ναυσὶ δ' εὐπρύμνοις παραὶ μάρναντ':*
Ο 385 *ἐπὶ πρύμνῃσι μάχοντο.*

Denique nonnullis locis ex Homero sumptis Bacchylides pro adjectivo Homerico synonymon quoddam posuit:

XII 63 *ὅταν θανάτοιο κυάνεον νέφος καλύψῃ:*
δ 180 *ὅτε θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφεκάλυψεν.*
XII 64 *λείπεται ἀθάνατον κλέος:*
Ι 413 *ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται*
XVI 17 *μέλαν δ' ὑπ' ὀφρύων δίνασεν ὄμμα:*
Ρ 679 *ὄσσε φαεινὼ πάντοσε δινείσθην.*

Ex his planissime elucet Bacchylidem permultas elocutiones ex Homero deprompsisse atque aut immutatas aut qua posset ratione mutatas variatasque suis carminibus inseruisse. Ex innumerabilibus autem locis Homeri, quos in Bacchylidis poematis invenimus, concludendum esse mihi videtur hunc poetam aut totum fere Homerum memoriter tenuisse, aut cum carmen condebat, Homeri carmina perscrutatum esse, ut elocutiones idoneas eliceret. Hoc verius esse etiam hac observatione probatur. Si indices supra allatos perspicimus, ea poemata parvula, quae a poeta ex tempore facta sunt, plane libera esse ab Homericis elocutionibus videmus. Ex. gr. nomino carmina quartum et sextum[1]). Contra ea carmina, quae maiore cura perpolita sunt, locis Homeri quasi abundant. In carmine enim quinto, quod sine dubio primum locum obtinet, fere decem loci ex Homero deprompti exstant atque totidem in carm. X et XII. Videmus igitur Bacchylidem cum altiora appetebat, ipsius viribus quasi diffisum ornamenta sermonis ab Homero mutuatum esse. Atque hoc probatur etiam his: Saepe a Bacchylide eaedem res narrantur, quas iam ab Homero tractatas invenies. Quibus in describendis poeta Ceus non raro totum enuntiatum Homericum paene immutatum deprompsit. Plane enim Bacchylides cum Herculem ex Tartaro Cerberum apportantem describit cum Homero consentit. Cf. Bacch. V 60 *καρχαρόδοντα κύν' ἄξοντ' ἐς φάος ἐξ Ἀΐδα* cum Hom. *Θ* 368 *ἐξ ... ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο.* Deinde sortem hominibus a diis destinatam lacrimis non mutari legimus in Bacch. V 162

[1]) In secundo quoque carmine unum tantum exemplum idque satis exile invenitur.

ἀλλ' οὐ γάρ τίς ἐστιν πρᾶξις τάδε μυρομένοις, quod etiam invenimus in Hom. κ 202 *ἀλλ' οὐ γάρ τις πρῆξις ἐγίγνετο μυρομένοισιν*. Precantes autem homines Bacchylides his verbis ante oculos collocat (XIV 45): *θεοῖς δ' ἀνίσχοντες χέρας ἀθανάτοις εὔχοντο*, quod ex Hom. Θ 346 sq. fluxisse puto . . . *καὶ πᾶσι θεοῖσιν χεῖρας ἀνίσχοντες μεγάλ' εὐχετόωντο*. Atque feminas a militibus indigne tractari Bacchylides in c. III 45 secundum Hom. π 108 sq. narrat. Confer enim Bacchylideas voces *ἀεικελίως γυναῖκες ἐξ ἐϋκτίτων μεγάρων ἄγονται* cum Homerico loco *δμῳάς τε γυναῖκας ῥυστάζοντας ἀεικελίως κατὰ δώματα καλά*. Atque dubium non est, quin Bacch. V 71 *τὸν δ' ὡς ἴδεν Ἀλκμήνιος θαυμαστὸς ἥρως τεύχεσι λαμπόμενον* ex Hom. Υ 45 *Τρῶας . . . ὅθ' ὁρῶντο ποδώκεα Πηλεΐωνα τεύχεσι λαμπόμενον* depromptum sit. Porro Hercules Bacchylidis V 74 ad tela iacienda eodem modo se parat, quo Pandarus in Hom. Δ 116. Vide Bacchylidis narrationem: *χαλκεόκρανον δ' ἔπειτ' ἐξείλετο ἰὸν ἀναπτύξας φαρέτρας πῶμα* et Homeri *αὐτὰρ ὁ σύλα πῶμα φαρέτρης, ἐκ δ' ἕλετ' ἰόν*.

Juppiter autem, ut signum mittat, a Minoe in carmine XVI 53 sic imploratur:

Ζεῦ πάτερ, ἄκουσον· εἴπερ με νύμφα
Φοίνισσα λευκώλενος σοὶ τέκεν,
νῦν πρόπεμπ' ἀπ' οὐρανοῦ θοὰν
πυριέθειραν ἀστραπὰν
σᾶμ' ἀρίγνωτον,

quod nobis illum locum Homericum in memoriam revocat υ 98:

Ζεῦ πάτερ, εἴ μ' ἐθέλοντες ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρὴν
ἤγετ' ἐμὴν ἐς γαῖαν, ἐπεί μ' ἐκακώσατε λίην
φήμην τίς μοι φάσθω ἐγειρομένων ἀνθρώπων
ἔνδοθεν, ἔκτοσθεν δὲ Διὸς τέρας ἄλλο φανήτω.

Achilles qui ira Briseïdos abreptae commotus e pugna se recepit, a Bacchylide in c. XII 134 sqq. his ante oculos collocatur:

αἰχματὰν Ἀχιλλέα
μίμνοντ' ἐν κλισίῃσιν
εἵνεκεν ξανθᾶς γυναικός,
Βρισηΐδος ἱμερογυίου,

qui locus ex Hom. Β 688 sq. fluxit:

κεῖτο γὰρ ἐν νήεσσι ποδάρκης, δῖος Ἀχιλλεὺς
κούρης χωόμενος Βρισηΐδος ἠυκόμοιο.

Atque porro hoc dignum est, quod commemoretur illud Bacch. XV 17 sqq.:

ἔνθ' ἀπὸ λαΐδος εὐρυνεφεῖ Κηνείῳ
Ζηνὶ θύεν βαρυαχέας ἐννέα ταύρους
δύο τ' ὀρσιάλῳ δαμασίχθονι
μέλλε κόρᾳ τ' ὀβριμοδερκεῖ ⟨γ⟩ ἄζυγα
παρθένῳ Ἀθάνᾳ ὑψικέραν βοῦν,

simillimum esse loci Homerici Λ 727:

ἔνθα Διὶ ῥέξαντες ὑπερμενεῖ ἱερὰ καλά
ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι,
αὐτὰρ Ἀθηναίῃ γλαυκώπιδι βοῦν ἀγελαίην.

Denique quis est qui neget etiam hos locos Bacchylideos ex Homero fluxisse:

V 86 *τίς ἀθανάτων ἔρνος θρέψεν:*
ξ 175 . . . *ἐπεὶ θρέψαν θεοὶ ἔρνεϊ ἶσον.*
V94 *χαλεπὸν θεῶν παρατρέψαι νόον ἄνδρεσσιν ἐπιχθονίοις:*
γ 147 *οὐ γάρ τ' αἶψα θεῶν τρέπεται νόος*
XII 152 *ἔρευθε φώτων αἵματι γαῖα μέλαινα:*
Υ 494 *ῥέε δ' αἵματι γαῖα μέλαινα*
XVI 104 *λάμπε γυίων σέλας ὧτε πυρός:*
Τ 365 *ὄσσε | λαμπέσθην ὡς εἴτε πυρὸς σέλας*
XVII 41 *ἢ θεὸς αὐτὸν ὁρμᾷ:*
θ 499 *ὁ δ' ὁρμηθεὶς θεοῦ ἤρχετο*
XVII 47 *περὶ φαιδίμοισι δ' ὤμοις ξίφος ἔχειν:*
δ 308 *περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ*
XVII 50 *κηΰτυκτον κυνέαν κρατὸς πέρι:*
Γ 336 *κρατὶ δ' ἐπὶ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν.*

Quin etiam totas formulas, quae solius Homeri vel poetarum epicorum maxime propriae singularesque sunt, Bacchylides suis carminibus inseruit. Cuius generis afferam haec:

V 76 . . . . . . *τῷ δ' ἐναντία*
ψυχὰ προφάνη Μελεάγρου
καί νιν εὖ εἰδὼς προσεῖπεν·
„υἱὲ Διὸς μεγάλου . . e. q. s.:
O 88 *πρώτη γὰρ ἐναντίη ἦλθε θέουσα*
καί μιν φωνήσασ' ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
Ἥρη, τίπτε βέβηκας; . . . .
V 84 *θάμβησέν δ' ἄναξ εἶπέν τε:* . . .
Γ 398 *θάμβησέν τ' ἄρ' ἔπειτα, ἔπος τ' ἔφατ'* . . .
V 86 *τίς ἀθανάτων ἢ βροτῶν* . . . *ἐν ποίᾳ χθονί*
vel XVII 31 *Τίνα δ' ἔμμεν πόθεν ἄνδρα τοῦτον:*
α 170 *τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες.*
V 159 *καί νιν ἀμειβόμενος τάδ' ἔφα:*
δ 375 . . . *μιν ἀμειβόμενος προσέειπε.*

His indicibus allatis mihi demonstrasse videor Bacchylidem saepissime Homeri ornamenta orationis qua potuit ratione in usum suum vertisse. Ad extremum autem uberius tractare velim illum locum, (XII 116 sqq.) quo poeta Trojanos, quamdiu Achilles pugnae interfuisset, timore percussos minime in apertum campum iniisse narrat. Quod Bacchylides sic describit:

. . . *ἀτυζόμενοι δὲ πτᾶσσον ὀξεῖαν μάχαν,*
εὖτ' ἐν πεδίῳ κλονέων μαίνοιτ' Ἀχιλλεύς,
λαοφόνον δόρυ σείων·

Atque ut iam supra p. 34 sqq. disserui, tota narratio quomodo pugna apud Graecorum naves committeretur ex Homeri libro XV fluxit. In quo non invenies Trojanos Achillem timentes non pugnavisse. Tamen huius rei quoque Homerus exemplum fuit, quod Bacchylides secutus est. Affero *E* 788 sqq.:

ὄφρα μὲν ἐς πόλεμον πωλέσκετο δῖος Ἀχιλλεύς,
οὐδέ ποτε Τρῶες πρὸ πυλάων Δαρδανιάων
οἴχνεσκον· κείνου γὰρ ἐδείδισαν ὄβριμον ἔγχος
νῦν δὲ ἑκὰς πόλιος κοίλῃς ἐπὶ νηυσὶ μάχονται.

Hic locus sine dubio Bacchylidi ante oculos versatus est. Atque si eum cum loco Bacchylideo comparamus, Bacchylidem ne unam quidem vocem ex Homerico loco deprompsisse videmus atque Ceus poeta totam narrationem ex se genuisse videtur. At perspice attente, invenies Bacchylidem ipsum nihil effecisse, sed omnia ex Homeri carminibus fluxisse. Nam comparemus *Φ* 3 sqq.:

. . . *τοὺς μὲν πεδίονδε δίωκεν*
πρὸς πόλιν, ᾗ περ Ἀχαιοὶ ἀτυζόμενοι φοβέοντο
ἤματι τῷ προτέρῳ, ὅτε μαίνετο φαίδιμος Ἕκτωρ.

Porro ante oculos ponamus illud Homeri *Υ* 427: *ἀλλήλους πτώσσοιμεν ἀνά* . . . et *Χ* 188 *Ἕκτορα δ' ἀσπερχὲς κλονέων ἔφεπ' ὠκὺς Ἀχιλλεύς,* videmus a Bacchylide singulas elocutiones ex Homeri carminibus electas in unam descriptionem confusas esse. Has autem consilio non ex eo loco, cui rem narratam debet, sed ex aliis deprompsit, ut simularet se ipsum elocutiones finxisse, quod ad poetae ingenium recte aestimandum non parvi momenti est.

Antequam autem ad Bacchylidis aestimationem aggrediar, etiam Pindari sermonem exemplo allato breviter spectemus. Sine dubio carmen *P* I Pindari ingenii atque naturae testimonium est optimum. Itaque eum locum afferamus, quo Pindarus fabulam Typhonis sub Aetna monte iacentis narrat. V. 15 sqq. legimus: . . .

ὅς τ' ἐν αἰνᾷ Ταρτάρῳ κεῖται, θεῶν πολέμιος,
Τυφὼς ἑκατοντακάρανος· τόν ποτε
Κιλίκιον θρέψεν πολυώνυμον ἄντρον· νῦν γε μάν
ταί θ' ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι
Σικελία τ' αὐτοῦ πιέζει
στέρνα λαχνάεντα· κίων δ' οὐρανία συνέχει,

νιφόεσσ' Αἴτνα, πανέτης
χιόνος ὀξείας τιθήνα·
τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται
ἐκ μυχῶν παγαί· ποταμοὶ δ'
ἁμέραισιν μὲν προχέοντι ῥόον καπνοῦ
αἴθων'· ἀλλ' ἐν ὄρφναισιν πέτρας
φοίνισσα κυλινδομένα φλὸξ ἐς βαθειαν φέρει
πόντου πλάκα σὺν πατάγῳ.
κεῖνο δ' Ἁφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετόν
δεινοτάτους ἀναπέμπει· τέρας μὲν θαυμάσιον
προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παρεόντων ἀκοῦσαι,
οἷον Αἴτνας ἐν μελαμφύλλοις δέδεται κορυφαῖς
καὶ πέδῳ, στρωμνὰ δὲ χαράσσοισ' ἅπαν
νῶτον ποτικεκλιμένον κεντεῖ.

Dubium non est, quin hic locus velut flumen de monte praeceps decurrens auribus obstrepat atque longe a Bacchylidis sermone gracili atque eleganti abhorreat. Neque ullo loco color Homericus perlucet, quamquam Pindarus quoque non raro formulas aut immutatas aut leviter mutatas ex Homero deprompsit. Cf. enim v. 22 *προχέοντι ῥόον* cum Hom. *Φ* 219 *δύναμαι προχέειν ῥόον* . . . vel v. 19b *στέρνα λαχνάεντα* cum Hom. *Σ* 415 *στήθεα λαχνήεντα* vel v. 26 *θαῦμα ἀκοῦσαι* et *θαυμάσιον τέρας προσιδέσθαι*cum Hom. *K* 439 *θαῦμα ἰδέσθαι.* Cur autem sermo Pindaricus, quamquam locutiones Homeri continet, tamen a colore Homerico toto caelo abhorret? Primum quidem Pindarus non tam multos flosculos ex Homero deprompsit. Tum autem, quod mea sententia caput est, poeta Thebanus semper studuit, ut nova atque non audita efficeret, quod Bacchylides quamvis in epithetis adhibendis, tamen minime in enuntiatis fingendis fecit. Hic flosculos eodem modo, quo Homerus eos conjunxit, suis carminibus inseruit. Pindarus autem eos cum imaginibus non detritis conjungit atque confundit. Qua re color Homericus plane obscuratur et is sermo fingitur, qui Pindari ipsius proprius est. Atque idem Quintilianum

indicasse puto in inst. orat. X 1,61 cum dicit: „novem vero lyricorum longe Pindarus princeps spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia et velut quodam eloquentiae flumine“. Praecipue imagines a Pindaro effictas ante oculos collocem. Ex. gr. in v. 20 sqq. Aetnam nivis nutricem vocat, *Αἴτνα πανέτης χιόνος ὀξείας τιθήνα.* Deinde v. 21 sqq. delectamur pulcherrima imagine: *τᾶς ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνόταται ἐκ μυχῶν παγαί.* Multa alia exempla afferre possum, quibus Pindarum facultate nova et propria creandi Bacchylidi longe praestare probatur, sed satis esse mihi videtur.

IV. Bacchylidis Aestimatio.

Digestis omnibus rebus, in quibus Bacchylides Homerum secutus est, atque Pindaro cum Ceo poeta comparato nunc brevissime quaeramus, quanti Bacchylides aestimandus sit. Sine dubio, si ad sententias spectamus, hic poeta cum Pindaro conferri non potest. Floret autem sermonis elegantia ac perspicuitate, qua ni fallor Hiero commotus est, ut eum etiam Pindaro praeferret[1]). Sed ne hae quidem virtutes elocutionis eius propriae sunt, magna ex parte debentur Homero. Bene scivit aliorum sententias et elocutiones in suum usum convertere, nova ex se procreare vix potuit. Plane igitur assentior Wilamowitzio, qui iudicium suum de Ceo poeta his verbis consummat[2]): „Schwerlich würde er (Horaz) das Gesamturteil über Bakchylides anders gefaßt haben als die feinsinnigste griechische Kritik, die dem gottbegnadeten, aber zuweilen frostigen Dichter Pindar in Bakchylides die

[1]) Victoriam Olympicam dico desideratam anni 468 a Bacchylide quam a Pindaro clebrari maluit rex.
[2]) Bacchylides, Berlin 1898, p. 11.

gleichbleibende Eleganz des korrekten Verseschmiedes gegenüberstellte.[1] . . . . Wirklich würde man ihn erheblich höher einschätzen, wenn dasjenige dem Bakchylides alles wirklich gehörte, was in seinen Gedichten unmittelbar Eindruck macht. Das ist erstens der Stoff, die Geschichten, die er erzählt; die hat er weder erfunden noch schöpferisch ausgestaltet, sie gehören der griechischen Heldensage an, die denn freilich wohl überhaupt die größte Schöpfung dichterischer Phantasie ist, die es gibt. Dafür hat auch das ganze Hellenenvolk an ihr gedichtet. Das zweite ist der feste Stil, zu dem das Versmaß, die Abtönung der Mundart und all der Zierrat der schmückenden Rede gehört, selbst ein Teil der Gedanken. Das ist eine erlernte und bewußt geübte Kunstfertigkeit."

[1]) *Περὶ ὕψους* 33,5 *τί δ' ἐν μέλεσι μᾶλλον ἂν εἶναι Βακχυλίδης ἕλοιο ἢ Πίνδαρος; καὶ ἐν τραγῳδίᾳ Ἴων ὁ Χῖος, ἢ νὴ Δία Σοφοκλῆς; ἐπειδὴ οἱ μὲν ἀδιάπτωται καὶ ἐν τῷ γλαφυρῷ πάντη κεκαλλιγραφημένοι, ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὁτὲ μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως πολλάκις καὶ πίπτουσιν ἀτυχέστατα.*

Index capitum.

Lebenslauf.

Verfasser vorstehender Arbeit, Hermann Buß, reformierter Konfession, wurde geboren am 22. Februar 1889 zu Holzheim im Kreise Gießen als Sohn des Schuhmachermeisters Konrad Buß und dessen Ehefrau Ernestine geb. Sann. Er besuchte in den Jahren 1895/1903 die Volksschule zu Holzheim, um dann, durch Privatunterricht vorbereitet, in die Obertertia des Gymnasiums zu Gießen einzutreten, wo er Ostern 1908 das Zeugnis der Reife erhielt. Auf Grund desselben wurde er am 9. Mai 1908 an der Universität Gießen immatrikuliert, wo er 8 Semester lang dem Studium der klassischen Philologie und der Germanistik obgelegen hat.

Er hörte Vorlesungen der Herren Körte, Immisch, Behaghel, Sauer, Watzinger, Strack, Bartholomae, Walde, Siebeck, Groos, Messer.

Dem klassich-philologischen Seminar hat er 3 Semester als ordentliches Mitglied angehört unter der Leitung der Herren Professoren Dr. Körte und Dr. Immisch. Zu gleicher Zeit war er Mitglied des germanischen Seminars unter der Leitung von Prof. Dr. Behaghel.

Die Anregung zu vorstehender Arbeit verdankt er Herrn Prof. Dr. Körte. Er erfüllt die angenehme Pflicht, auch an dieser Stelle für die Förderung und allzeitige gütige Unterstützung Herrn Prof. Körte seinen verbindlichsten Dank auszusprechen.